

WALTER BURLEY
EXPOSITIO SUPER LIBRUM PORPHYRII

Walter Burley: Expositio super librum Porphyrii (A.D. 1337).....	1
<Prologus>	2
<Proemium>	11
<Tractatus primus>	13
<Capitulum primum: de genere>	13
<Capitulum secundum: de specie>	16
<Capitulum tertium: de differentia>	24
<Capitulum quartum: de proprio>	33
<Capitulum quintum: de accidente>	36
<Tractatus secundus>.....	40
<Capitulum primum: de proprietate communi quinque universalibus >	40
<Secundum capitulum: comparatio generis ad quattuor residua universalia>	43
<Tertium capitulum: comparatio differentie ad tria residua universalia>	51
<Quartum capitulum: comparatio speciei ad proprium et ad accidens>.....	54
<Capitulum quintum: comparatio propriae et accidentis adinvicem>	56

Walter Burley: Expositio super librum Porphyrii (A.D. 1337)

Il testo che segue è stato trascritto dal ms. London, Lambeth Palace 70 (ff. 1r-8r) e corretto, laddove necessario, sulla base del ms. Città del Vaticano, Bibl. Apostolica Vaticana, vat. lat. 2146.

Non sempre i lemmi (in grassetto nella trascrizione) sono conformi all'edizione di Minio Paluello.

La divisione del commento in trattati, capitoli e parti segue le indicazioni fornite dallo stesso Burley, mentre i titoli attribuiti a ciascuna sezione sono quelli ritenuti più pertinenti all'argomento trattato.

Le citazioni di autorità (Aristotele, Boezio, Averroè) presentano l'esplicitazione del luogo corrispondente in nota a pié di pagina. Occorre tuttavia segnalare che per la maggior parte dei casi non si tratta della citazione letterale di un luogo determinato, ma del richiamo a principi che emergono in luoghi più o meno circoscritti.

Marta Vittorini

WALTER BURLEY
EXPOSITIO SUPER LIBRUM PORPHYRII

<a cura di Marta Vittorini>

<Prologus>

(1ra) Incipit expositio Burlei. Quia de dictis in logica intendo quoddam compendium compilare, videnda sunt primo tria circa logicam in communi; deinde descendendum est ad scientiam traditam in libro Porphyrii.

Primo igitur est videndum qualem unitatem habet logica; secundo quid est subiectum in logica; tertio de utilitate logice.

Circa primum est sciendum quod per logicam possumus intelligere tria: vel unum communem ad omnes habitus conclusionum hic ostensarum in libris logice, vel unum habitum singularem unius conclusionis hic ostense in logica, vel unum aggregatum ex omnibus habitibus traditis in libris logice.

Primo modo dico quod logica est unum secundum genus, quia est quoddam comune secundum predicationem omnibus habitibus [habitibus] ostensis in logica; et logica isto modo accepta non est una numero, distinguendo unum numero contra unum genere et unum specie. Accipiendo vero logicam secundo modo pro uno habitu singolari unius conclusionis ostense in logica, sic dico quod logica est una numero et est quedam forma simplex non composita ex materia et forma, neque ex diversis formis, et est habitus unius conclusionis tantum. Unde logica secundo modo accepta habet unitatem numeralem simplicem. Sed accipiendo logicam tertio modo, sic dico quod logica est una secundum aggregationem, sicut exercitus vel civitas; unde tot sunt habitus particulares traditi in logica, quot sunt complexa quibus aliquid habetur per doctrinam traditam in libris logice. Et logica isto modo accepta est quoddam aggregatum ex scientiis et opinionibus, quia per demonstrationem [non *marg.*] adquiritur scientia, et etiam per auctoritatem vel syllogismum dialecticum non adquiritur nisi opinio: unde generaliter alterius et alterius complexi (*pro* conclusionis) numero est aliis et aliis habitus in numero. Et hoc est verum tam in logica quam in aliis scientiis, quod probatur sic. Sit *a* habitus unius conclusionis demonstrate in logica et sit *b* habitus alterius conclusionis demonstrate in logica. Tunc arguo sic: aliquid stat cum *a* quod non stat cum *b*, ergo *a* et *b* non sunt idem numero. Consequentia patet de se, et probo antecedens sic. Cum scientia unius conclusionis stat ignorantia alterius conclusionis; et non solum ignorantia <alterius conclusionis, sed etiam ignorantia> dispositionis que est error contrarius scientie. Possum nam scire unam conclusionem libri *Posteriorum*, et errare circa aliam conclusionem eiusdem libri, ut satis patet. Tunc sic. Cum ipso *a* stat ignorantia contraria ipsi *b*, sed cum *b* non stat ignorantia contraria ipsi *b*;

ergo *a* et *b* non sunt idem habitus numero. Et per idem argumentum potest probari quod *a* et *b* non sunt habitus eiusdem speciei, quia tunc quicquid contrarietur uni contrarietur alteri, sicut quicquid contrariatur uni albedini contrariatur cuilibet albedini. Item quod alterius et alterius conclusionis sit alia et alia scientia particularis patet, quia quando adquiritur scientia unius conclusionis, scilicet prioris conclusionis, scientia posterioris conclusionis non adquiritur; et cum scientia posterioris conclusionis adquiritur vel intenditur, scientia prioris conclusionis perditur aut remittitur. Plures enim hoc contingit, scilicet quod cum scientia prioris (*pro: posterioris*) conclusionis adquiritur, perditur aut remittitur scientia posterioris (*pro: prioris*) conclusionis, ut patet in geometria. Cum enim aliquis addiscit conclusiones posteriores, obliviscitur <subintellige: conclusiones> demonstrationis prioris; aut non habet eam recentem et in promptu, et per consequens aut perdit scientiam habitam per priorem demonstrationem, aut habet eam magis remisso quam prius. Ergo alia est scientia prioris conclusionis et alia conclusionis posterioris. Et sic patet quod, accipiendo logicam pro tali notitia tradita in libris logice, quod logica ut sic non est unus habitus simplex, sed est unus per aggregationem sicut exercitus vel civitas, et ita est de totali notitia tradita in libro *Physicorum* aut in libro Euclidis.

Sed contra hoc: videtur quod secundum hoc tota logica non haberet maiorem unitatem quam haberet aggregatum ex scientia naturali et geometria, quia non habet nisi unitatem aggregationis. Dicendum quod in habitibus habentibus unitatem <aggregationis> potest esse maior unitas et minor unitas, [nec haberet geometria maiorem unitatem quam aggregatum ex scientia naturali et arithmeticā], quia aggregatum ex partibus eiusdem speciei maiorem unitatem habet quam aggregatum ex partibus differentibus specie, et aggregatum ex partibus eiusdem generis maiorem unitatem habet quam aggregatum ex partibus diversorum generum. Et ideo dico quod logica tertio modo accepta habet maiorem unitatem quam habet aggregatum ex physica et geometria; et logica tertio modo accepta, scilicet pro aggregato, habet unitatem secundum genus; et omnes particolares habitus (**1rb**) traditi in logica sunt eiusdem generis propinqui, sed sic non est de habitibus traditis in physica et geometria. Item adhuc logica tertio modo accepta habet maiorem unitatem quam habitus adquisiti in physica et geometria, quia habitus particulares traditi in libris logice habent unitatem connexionis, quia unus dependet ab alio, quia habito uno faciliter adquiritur aliis. Sed non est sic de habitibus traditis in physica et geometria. Nam huiusmodi habitus sunt inconnexi non dependentes ex se invicem. Sic est in aliis scientiis. Nam in geometria scientie diversarum conclusionum habent unitatem connexionis, quia scientia conclusionis posterioris dependet a scientia conclusionis prioris: nam ut communiter <dicitur>, illud quod est conclusio in demonstratione priori est principium in demonstratione posteriori. Et ideo scientia adquisita per demonstrationem posteriorem dependet a scientia adquisita per demonstrationem priorem.

Adhuc circa predicta est dubium, quia non videtur quod scientia possit accipi pro habitu unius conclusionis; immo videtur quod una scientia sit respectu multarum conclusionum. Nam si scientia posset accipi pro habitu unius conclusionum, tunc sciens primam conclusionem geometrie haberet geometriam cum haberet habitum unius conclusionis geometrie. Et sic sequeretur quod sciens primam conclusionem geometrie esset geometra, quod videtur inconveniens. Dicendum concedendo quod sciens primam conclusionem geometrie habet geometriam particularem et quod est geometra particularis. Nam cum demonstratio sit syllogismus faciens scire secundum Philosophum primo *Posteriorum*¹, sequitur quod habens primam conclusionem geometrie habet scientiam que est effectus illius demonstrationis. Sed effectus demonstrationis geometrie non est nisi geometria. Ideo concedo quod habens primam conclusionem geometrie habet geometriam particularem que est effectus illius demonstrationis; et per consequens et geometra particularis, non autem geometra universalis.

His autem visis videndum est de quibus est logica, utrum de rebus vel conceptibus aut vocibus, et quid debet esse subiectum in logica. Et est sciendum secundum Avicennam in *Logica sua*² (*marg.*) quod logica est de intentionibus secundis adiunctis primis. Ad cuius evidentiam sciendum quod intentio secundum quod nunc loquimur est idem quod conceptus rei. Et conceptus rei duplex est, scilicet primus et secundus verbi gratia. Possum enim de homine habere unum conceptum quo concipio humanam naturam absolute, deinde possum comparare naturam humanam ad illa que participant naturam humanam, scilicet ad Sortem et Platonem, et sic habeo alium conceptum, scilicet conceptum comparatum, qui conceptus, abstrahitur a conceptu primo. Conceptus primus rei dicitur prima intentio, conceptus secundus dicitur secunda intentio: unde prima intentio est conceptus abstractus immediate a rebus, sed secunda intentio est conceptus abstractus a conceptu vel conceptibus. Nomina rerum existentium ad extra significant primas intentiones ut homo, animal, albedo, nigredo, sed conceptus abstracti ab istis conceptibus significant<ur> <per> nomina secunde intentionis, ut genus, species, subiectum, predicatum, et huiusmodi; unde breviter prima intentio est primus conceptus rei, secunda vero intentio est secundarius conceptus rei. Nomen prime intentionis est nomen significans rem ut cadit sub primario conceptu intellectus; nomen secunde intentionis est nomen significans rem ut cadit sub secundario conceptu. Ex his patet quod eadem res est res prime intentionis et res secunde intentionis, quia eadem res apprehendi potest a (*pro: sub*) primario conceptu intellecto et a (*pro: sub*) conceptu secundario, tamen prima et secunda intentio non sint eadem. Dico ergo quod logica est de rebus secunde intentionis, quia in logica non determinatur de rebus nec de vocibus nisi per habitudinem ad intentiones secundas. Non enim

¹ ARISTOTELES, *Analytica Posteriora* I, 2, 71b17-19.

determinatur in logica de homine nisi in quantum est species vel in quantum subiectum vel predicatum alicuius propositionis, vel in quantum est terminus in syllogismo, scilicet in quantum est maior vel minor extremitas vel medium in syllogismo. Similiter non determinatur de vocibus in logica nisi in quantum significant res ut eis insunt intentiones secunde.

His visis videndum est quid est subiectum logice. Et dicitur distinguendo de subiecto et etiam de logica, quia quoddam est subiectum in quo e quoddam est subiectum circa quod. Subiectum in quo cuiuscumque scientie est intellectus, quia omnis scientia humana est in intellectu tamquam in subiecto. Subiectum vero circa quod est illud circa quod est consideratio scientiae. Et tale subiectum circa quod est duplex : quoddam contentivum, et est illud quod est commune ad omnia per se considerata in scientia. Aliud est subiectum principale, et est <illud> de quo principaliter consideratur in scientia. Item de logica (**1va**) distingo, quia uno modo accipitur ut est genus ad omnes habitus adquisitos in libris logice; alio modo pro habitu particulari unius conclusionis ostense in logica; tertio modo pro aggregato ex omnibus habitibus traditis in libris logice. Loquendo de logica primo modo vel tertio modo, sic dico quod subiectum primum logice est duplex, scilicet vel primum primitate adequationis vel primum primitate principalitatis. Dico tunc quod subiectum primum primitate adequationis scilicet, contentivum circa quod, est res secunde intentionis sive ens rationis, intelligendo idem per ens rationis et per rem secunde intentionis <quod> est commune ad omnia per se considerata in logica secundum quod in logica considerantur. Et tale dicitur subiectum contentivum circa quod; nec oportet quod de tali subiecto probentur passiones aut proprietates in scientia: sed solum requiritur quod de speciebus seu per se contentis sub illo subiecto probentur passiones et proprietates. Unde Philosophus primo *Posteriorum*³ dicit quod scientia habet genus subiectum, cuius generis subiecti sunt per se partes subiective et per se passiones, scilicet illarum partium. Unum subiectum isto modo acceptum est commune ad omnia per se considerata in scientia (*forte pro* logica), et de ipso in sua <maxima> communitate accepto non probantur passiones et proprietates, sed de per se contentis sub eo probantur in scientia per se passiones. Isto modo subiectum primum in scientia naturali est hoc commune res naturalis, et subiectum primum in metaphysica est ens per se. Si autem loquimur de primo subiecto in logica primitate principalitatis, sic dico quod subiectum primum in logica est syllogismus demonstrativus, quia eius notitia principaliter adquiritur in logica; syllogismus est hoc modo primum subiectum in logica (s.e.h.m.p.s. *marg.*) loquendo de logica primo modo vel tertio modo. Si vero loquimur de logica secundo modo accepta, scilicet prout habitus unius conclusionis particularis (*marg.*) dicitur logica, sic dico quod illud subiectum de quo probatur passio est subiectum illius scientie particularis; verbi

² AVICENNA, *Logica*, Venetiis 1508, a3ra; *Liber de philosophia prima sive scientia divina* I, 2, ed. S. VAN RIET, Louvain-Leiden 1977, 10.

gratia si probatur passio de genere, subiectum illius scientie adquisite per istam probationem est genus; et cum probatur passio de specie, subiectum scientie adquisite per illam probationem est species de qua predicatur passio et sic de aliis.

Sciendum etiam quod in logica determinatur de rebus et etiam de vocibus; et hoc non est nisi per habitudinem ad intentiones <secundas>, ut dictum est. Unde (*interl.*) in libro *Predicamentorum* determinatur de substantia et quantitate inquantum sunt genera generalissima et de contentis sub eis inquantum sunt genera vel species, et ita per habitudinem ad intentiones secundas. Similiter in libris Porphyrii *Predicamentorum* et *Perihermeneias* determinatur de vocibus per habitudinem ad intentiones secundas. Sciendum tunc quod in (*interl.*) libro Porphyrii determinatur de vocibus communibus solis conceptibus, ponendo quod universalia (*marg.*) nullum habent esse extra animam; et in libro *Predicamentorum* determinatur de vocibus communibus rebus solis ut de substantia qualitate etcetera; et in libro *Perihermeneias* determinatur de vocibus communibus solis vocibus ut de nomine, verbo, enunciatione, oratione. Unde, secundum Boethium⁴ quedam sunt nomina rerum distinguendo rem contra vocem, et quedam sunt nomina nominum. Nomina rerum secundum ipsum (*marg.*) sunt nomina prime impositionis et nomina nominum sunt nomina secunde impositionis: nomen prime impositionis dividitur in nomen prime intentionis et nomen secunde intentionis. Nomen prime intentionis est commune rebus, nomen secunde intentionis est commune conceptibus.

His visis videndum est ad quod sit logica utilis. Et sciendum quod utilitas logice est facultas seu potestas discernendi artificialiter verum a falso in singulis scientiis. Nam in singulis scientiis discernitur verum a falso (a.f. *marg.*) per discursum factum a premissis notis ad conclusiones sequentes ex illis, sed talem discursum docet logica. Et ideo per logicam distinguitur artificialiter verum a falso in omni scientia, nec potest aliqua scientia artificialiter haberi sine logica. Et si dicitur quod ille qui primo invenit logicam adquisivit scientiam sine logica, et per consequens potest scientia acquiri sine logica, unde potest sic argui: primus inveniens logicam aut habuit logicam aut non: si sic, sequitur quod logica fuit ante logicam quod videtur inconveniens; si non habuit logicam, sequitur quod scientia potest acquiri sine logica. Sciendum quod logica potest haberi dupliciter, scilicet vel usualiter vel artificialiter. Unde syllogizans nesciens se syllogizare habet logicam usualiter sed non habet eam artificialiter, quia nescit se syllogizare nec habere logicam; isto modo syllogizant idiote secundum Philosophum⁵. Sed utens syllogismo sciens se syllogizare habet logicam artificialiter quia novit naturam syllogismi. Dico ergo quod primus inveniens logicam habuit logicam usualem antequam adquisita fuerit logica artificialis. Nam primus inveniens logicam

³ ARISTOTELES, *Analytica Posteriora* I, 28, 87a38-40.

⁴ BOETHIUS, *In Categorias*, 159B.

utebatur syllogismo in adquirendo artem logice, sed nescivit se syllogizare, et ita habuit logicam usualem tantum. Unde concedo quod logica usualis fuit ante logicam artificialem.

Adhuc est dubium quia nos videmus quosdam scientes philosophiam naturalem et alias scientias (**1vb**) qui tamen non habent logicam, ut patet de multis studentibus per totam vitam suam in scientiis speculativis qui sciunt facere omnes demonstrationes traditas *in libro Physicorum* vel in *Metaphysica* vel in aliis scientiis quia tamen ignorant logicam; ergo alie scientie parent haberi sine logica. Dicendum quod nulla scientia potest haberi sine logica artificialiter, quia quicumque scit aliquam conclusionem artificialiter, scit se scire <illam>, et per consequens scit se habere demonstrationem, quia nullus potest sine logica scire se habere aliquam demonstrationem, quia sine logica non potest scire utrum argumentum sit demonstratio seu sophisticum nec utrum conclusio de necessitate sequitur ex premissis vel non. Dico ergo quod studentes in phylosophia naturali, quamvis sciant recitare singula verba Aristotelis et singulas conclusiones inducere ex premissis, si non habeant logicam non habent scientiam naturalem artificialiter, quia nesciunt utrum demonstrationes Aristotelis concludant aut non. Et si queratur quem ergo habitum adquirunt tales per studium in philosophia naturali vel in gramatica (*forte pro*: geometria) vel in alia scientia quacumque, dico quod scientiam proprissime dictam non adquirunt, sed magis acquirunt habitum opinativum, nec habent nisi credulitatem de conclusionibus demonstratis, quia solum credunt discursum a premissis ad conclusionem argumentum esse bonum, sed non sciunt huiusmodi discursum esse bonum; et ideo dico quod non acquirunt nisi opinionem.

Visis premissis circa logicam in communi, descendo ad scientiam traditam in libro Porphyrii. Videnda sunt hic tria: primum quid est subiectum libri Porphyrii; secundo videnda est sufficientia universalium de quibus in hoc libro tractatur; tertio movenda et solvenda sunt quedam dubia.

Primo ergo dico quod subiectum scilicet contentivum seu adequatum in tota scientia tradita in libro Porphyrii est universale, accipiendo universale ut habet suppositionem simplicem; nam hoc commune universale continet omnia subiecta particularia de quibus in hoc libro probantur passiones et proprietates. Subiecta tamen particolaria sunt multa quia in aliqua parte huius libri determinatur alia proprietas de genere et in alia parte determinatur alia proprietas de specie; et ita alicuius scientie particolaris tradite in libro Porphyrii genus est subiectum, et alterius scientie hic tradite species est subiectum. Unde totius scientie tradite in libro Porphyrii sunt multa subiecta particularia, sed tantum unum est subiectum adequatum continens omnia ista predicta, et est illud est hoc commune universale.

Et si dicatur si universale sit hic subiectum adequatum, et nullum illorum quinque universalium est hic subiectum adequatum, ergo est ponere sextum universale, dico quod hec est vera ‘universale est

⁵ ARISTOTELES, *De sophisticis elenchis*, cap. 11, 172a30-32.

hic subiectum' accipiendo universale secundum quod solum est commune ad illa quinque <de> quibus hic determinatur, et secundum quod iste terminus universale habet suppositionem simplicem. Et tunc respondeo ad argumentum, et dico quod consequentia non valet 'universale est hic subiectum et nullum istorum quinque est hic subiectum, ergo est ponere sextum universale'; sicut non sequitur 'homo est species et nullus homo singularis est species, <ergo alias homo preter hominem singularem est species'>.

Et si dicatur hec est vera 'aliquod universale est hic subiectum' et 'nullum istorum quinque est hic subiectum' 'ergo est dare sextum universale', dicendum quod universale potest accipi large vel stricte. Accipiendo universale large sic universale est idem quod commune, et sic est verum quod omne commune est universale. Et isto modo loquendo concedo quod aliquod universale est hic subiectum, quia aliquod commune est hic subiectum. Et concedo quod sint multo plura universalia quam quinque, quia ens et unum et omne commune est universale de universali sic large loquendo. Et sic concedo quod est dare sextum universale. Si autem universale accipiatur stricte, sic solum universale est commune ad ista quinque scilicet ad genus et speciem et cetera. Et isto modo loquendo de universali, universale est hic subiectum, et tamen ista est falsa 'aliquod universale est hic subiectum' quia nec genus nec species est hic subiectum adequatum seu contentivum; ista tamen est vera 'universale est hic subiectum' secundum quod iste terminus universale habet suppositionem simplicem.

Circa sufficientiam universalium est sciendum quod sufficientia universalium potest sic accipi. Omne universale aut predicitur in quid, aut in quale; si in quid, aut dicit totam quiditatem <individui>, et sic est species specialissima, si autem dicat partem quiditatis, sic est genus. Si vero predicitur in quale, aut ergo predicitur in quale substantiale, aut in quale accidentale; si predicitur in quale substantiale, sic est differentia, si in quale accidentale, aut ergo predicitur de specie in quale convertibiliter, et sic est proprium, aut non convertibiliter, et sic est accidens.

Sed dubitatur, quia non videtur quod species specialissima dicat totam quiditatem individui, quia de quiditate individui sunt materia et forma individualis, et species specialissima non dicit materiam nec formam individualem; ergo species specialissima non dicit totam quiditatem individui. Dicendum quod per quiditatem possumus duo intelligere, scilicet vel formam declarantem quiditatem vel formam perficiemt materiam. Quodlibet predicatum essentiale est forma declarans quiditatem <sui individui>. Dico ergo quod intelligendo per 'quiditatem' predicatum essentiale, sic dico quod species specialissima dicit totam (**2ra**) quiditatem individui, quia species est unum predicatum essentiale respectu individui includens omnia alia predicata essentialia. Et ita debet

intelligi dictum Boethii⁶, scilicet quod species dicit totum esse individui. Ideo species specialissima includit omnia predicata que essentialiter predicanter de individuo; <et ita species specialissima dicit totam quiditatem individui. Sed genus non dicit totam quiditatem individui, quia non includit omnia predicata que essentialiter predicanter de individuo>. Si vero quiditas accipitur pro forma perficiente materiam, sic species non dicit totam quiditatem individui.

His visis circa predicta sunt quedam dubia, quia primo videtur quod non sunt nisi quattuor universalia, quia per Philosophum primo *Topicorum*⁷ tantum quattuor sunt predicata, scilicet genus, diffinitio, proprium et accidens; sed universale et predicatum seu predicable idem sunt, ergo non sunt nisi quattuor universalia.

Item genus et accidens non videntur esse universalia distincta, et per consequens non sunt quinque universalia. Probatio assumpti: nam color est genus, nam predicatur de pluribus differentibus specie in eo quod quid, ut de albedine et nigredine, et color est accidens, ergo idem est genus et accidens, et per consequens genus et accidens <non> sunt universalia distincta.

Item species non videtur esse universale distinctum a proprio, quia si proprium esset res distincta a specie, verbi gratia si risibilitas esset res distincta ab homine, tunc esset alia species ab homine, et omnis species habet passionem <sibi propriam; ergo risibilitas habet passionem> realiter distinctam ab ea, et illa passio eadem ratione aliam passionem haberet, et sic esset procedere in infinitum in per se ordinatis, quod est contra Philosophum⁸.

Item decem sunt predicamenta, et quodlibet predicamentum est universale, ergo decem sunt universalia, ergo non sunt tantum quinque universalia.

Dicendum quod accipiendo universale stricte sic sunt tantum quinque universalia, ut dictum est in accipiendo sufficientiam universalium.

Ad primum in contrarium dico quod Philosophus in primo *Topicorum* loquitur tantum de predicatis quesitis in problematibus scibilius, et nam quattuor genus, diffinitio, proprium et accidens possunt queri de subiecto scibili, scilicet de specie; et ideo ista quatuor ponuntur esse predicata in problematibus de quibus potest esse scientia. Sed species non predicatur proprie nisi de individuo, et de individuo non est scientia. Ideo species non est predicatum in aliquo problemate scibili, cum non poterit proprie predicari nisi de (*marg.*) individuo. Sed Porphyrius non solum determinat de predicatis que predicanter de subiecto scibili sed generalius determinat de omni predicato contento in quocumque ordinatione predicamentali, sive sit predicable de subiecto scibili, sive de subiecto non scibili. Cum ergo dicitur quod tantum sunt quattuor predicata, dicendum quod verum est ut

⁶ BOETHIUS, *In Isagogen*², III, 12 (CSEL 48, p. 237, 1-3).

⁷ ARISTOTELES, *Topica* I, 4, 101b17-26.

⁸ ARISTOTELES, *Metaphysica* II, 2, 994a-b.

Philosophus loquitur de predicatis in libro *Topicorum*, sed ut Porfirius loquitur de predicatis sive de universalibus sic sunt plura predicata quam quattuor.

Ad secundum, cum dicitur quod genus et accidens non sunt universalia distincta, dico quod comparando genus et accidens ad idem sic <semper genus et accidens> sunt distincta. Impossible enim est quod idem sit genus alicuius et accidens eiusdem, tamen comparando genus et accidens ad diversa, sic bene est possibile quod idem sit genus et accidens, id est <illud idem> quod est genus unius potest esse accidens alterius. Cum ergo dicitur quod color est genus et accidens, dico quod color est genus respectu albedinis et nigredinis, et non accidens istorum, sed est accidens corporis, et non est genus corporis. Unde genus ut genus non est accidens, nec accidens ut accidens est genus, hoc est idem respectu eiusdem non est accidens et genus.

Ad aliud dico quod species est res distincta a proprio. Et cum dicitur quod tunc illud proprium est species, posset concedi. Et cum dicitur quod omnis species habet passionem, dico quod non, sed omnis species de genere <substantie habet proprium realiter distinctum> ab ea, sed non est universaliter verum de speciebus accidentium. Ad aliud quando dicitur quod decem sunt predicamenta concedo, sed omnia illa continentur sub uno universalis, scilicet sub genere, quia substantia est genus, quantitas est genus, et sic de aliis predicamentis. Et concedo quod sunt plura universalia quam quinque, immo sunt quasi infinita universalia secundum speciem, sed secundum genus universalitatis non sunt nisi quinque universalia. Unde quotunque sunt universalia, quodlibet illorum vel est genus, vel species, vel differentia, vel proprium, vel accidens. Unde iste quinque intentiones sunt quasi genera respectu illorum de quibus predicanter denominative.

<Proemium>

Cum sit necessarium (Busse, 1.3; Paluello 5.2) Iste liber, qui est primus in ordine doctrine inter libros logice, continet prohemium et duos tractatus. In primo tractatu determinat auctor de unoquoque universalis divisim; in secundo ibi ‘Commune est, ergo omnibus’ determinat de quinque universalibus comparando ea ad invicem. Prohemium est (*pro* continet) unum capitulum totaliter narrativum, in quo narrat tria, videlicet utilitatem istius libelli, et modum tractandi in hoc libello, et questiones impertinentes huic scientie, que tamen alicui possent (2rb) videri ad hanc scientiam pertinere. Primo ergo narrat quod notitia quinque universalium est utilis ad quattuor, videlicet ad doctrinam traditam in libro Predicamentorum, et ad diffinitiones assignandas, et ad divisiones faciendas, et ad artem demonstrandi.

Altioribus quidem questionibus (Busse, 1.9; Paluello 5.9) Questiones impertinentes huic scientie quas a sua consideratione abiicit Porphyrius sunt quatuor. Prima utrum universalia sunt subsistentia extra anima vel sunt in (*interl.*) intellectu tantum. Tunc sequitur secunda quaestio habens tria membra. Supposito enim quod universalia sint in intellectu tantum, est quaestio utrum universalia sint in solis intellectibus aut in nudis intellectibus aut in puris intellectibus. Et intelligit per ista tria tres operationes intellectus. Per solum intellectum intelligit operationem intellectus cui nihil correspondet in re: et sic operatio intellectus qua intelligitur chimera dicitur solo (*pro:* solus) intellectus; et intelligit per nudum intellectum operationem intellectus qua materia apprehenditur non apprehensa forma; et intelligit per purum intellectum operationem intellectus qua apprehenditur forma non apprehensa materia. Est ergo hec questio: posito quod universalia habeant esse per solam operationem intellectus, est questio utrum sint in sola operatione intellectus ita quod nihil eis correspondat in re, aut sunt <in> operatione intellectus ad modum materiae apprehense sine forma, aut sunt in operatione intellectus ad modum forme apprehense sine materia, et hoc utrum apprehendantur tamquam materia vel tamquam forma.

Quidam tamen per intellectum non intelligunt operationes intellectus, sed substantiam intellectus. Et tunc per solum intellectum intelligunt intellectum divinum qui solus primo et principaliter dicitur intellectus; et est solus quia est unicus, nec est, nec esse potest alius consimilis. Per purum intellectum intelligunt intellectum angelicum qui purus est absque unione cum corpore tamquam forma corporis. Per nudum intellectum intelligunt intellectum humanum qui in principio est tamquam tabula rasa et nuda in qua nihil depingitur secundum Philosophum tertio *De anima*⁹: unde intellectus humanus quantum est de se est nudus seu denudatus ab omni forma materiali et ab omni specie rei materialis.

⁹ ARISTOTELES, *De anima* III, 4, 429b31.

Et posito quod universalia sint existentia extra animam sunt due questiones. Prima, et est tertia in ordine, si universalia sint extra animam, utrum sint corporalia vel incorporalia, id est utrum sint extensa sicut corpus vel inextensa; secunda questio et quarta in ordine: supposito quod universalia sint incorporalia, est questio utrum universalia sint separata a sensibilibus, vel sint in ipsis sensibilibus. Et ab ipsis questionibus et consimilibus et ab eis que eas circumstant, dicit auctor se velle abstinere, quia non pertinent ad logicum, sed ad metaphysicum. Et dicit se velle sequi in hoc opusculo dicta probabilia antiquorum de ipsis universalibus quantum ad logicum pertinet. Et dicit quod maxime vult sequi in hoc negocio dicta Perypateticorum.

Hic occurrit dubium qualiter notitia quinque universalium est utilis ad decem predicamenta (*fortasse pro*: ad predicta quatuor), scilicet ad scientiam traditam in libro *Predicamentorum*, et ad assignationem diffinitionum, et ad divisiones faciendas, et demonstrationes. Et est dicendum (*forte pro*: sciendum) quod scientia quinque universalium est utilis ad cognitionem decem predicamentorum, quoniam in omni predicamento sunt genera et species et differentie. Ideo cognitio istorum trium est utilis ad cognitionem decem predicamentorum. Similiter omnia que sunt in novem predicamentis aliis a substantia sunt accidentia, et accidens (*forte pro* accidentium) quoddam est commune, quoddam proprium. Et ideo ad cognitionem novem predicamentorum que sunt accidentia est utilis cognitio accidentis tam communis quam proprii. Et ita patet quod notitia istorum quinque universalium est utilis ad scientiam que est de decem predicamentis. Et est utilis ad assignationem diffinitionum, quoniam sola species diffinitur, et omnis diffinitio constat ex genere et differentia, <et> in diffinitione simpliciter dicta nec debet poni accidens nec proprium illius diffiniti. Ideo cognitio istorum quinque universalium est utilis ad assignationem diffinitionum, cognitio enim speciei est utilis cum ipsa sola diffiniatur, et cognitio generis et differentie est utilis ut genus et differentia ponantur in diffinitione, et cognitio proprii et accidentis est utilis non ut ponantur in diffinitione, sed ut abiificantur a diffinitione. Est etiam notitia quinque universalium utilis ad divisiones faciendas, quoniam aliquando fit divisio generis in species per differentias essentialias, et aliquando per differentias accidentales. Et differentia accidentalis est duplex, quedam communis et quedam propria. Et ideo ad divisiones faciendas tam essentialias quam accidentales est cognitio istorum quinque universalium valde utilis. Est etiam utilis ad (*interl.*) artem demonstrandi, quoniam in demonstratione concluditur proprium de specie cuius est proprium per diffinitionem speciei tamquam per medium. Et diffinitio constat ex genere et differentia, et ideo ad artem demonstrandi est utilis cognitio istorum quatuor, scilicet generis, speciei, proprii, <differentie> et quia accidens commune non ingreditur demonstrationem. Ideo cognitio accidentis communis est utilis ad artem demonstrandi ut a demonstratione abiiciatur.

<Tractatus primus>

(2va) **Videtur autem neque genus neque species** (Busse, 1.18; Paluello 6.1) Finito prohemio sequitur tractatus primus qui est de quinque universalibus divisim. Et continet quinque capitula. Capitulum primum est de genere; capitulum secundum de specie; tertium de differentia; quartum de proprio; quintum de accidente.

<Capitulum primum: de genere>

Capitulum de genere continet duas partes: in prima ponuntur significaciones generis; in secunda ibi ‘Tripliciter autem ponitur’ et declaratur diffinitio generis. Prima pars est totaliter narrativa; secunda declarativa.

<PRIMA PARS PRIMI CAPITULI>

In prima ergo parte ponit tres significaciones generis, dicens: primo quod neque genus neque species videntur simpliciter dici, id est uno modo tantum, sed multipliciter.

Prima significatio generis est multitudo ab uno patre descendentium, ut multitudo Romanorum descendentium a Romulo dicitur esse genus. Et hoc potest intelligi dupliciter: uno modo quod multitudo descendantium ab uno patre simul cum patre a quo descendant dicatur esse genus. Alio modo potest intelligi quod sola multitudo vel collectio descendantium ab uno patre dicatur genus per habitudinem ad illum patrem, ipso patre non accepto nec numerato in illa multitudine. Et quamvis pater non connumeretur in illa multitudine, tamen ista multitudo habet cognitionem ab illo patre, et diversitatem ab aliis generibus: unde multitudo Romanorum una cum Romulo potest dici genus, et etiam multitudo Romanorum descendencium a Romulo, non connumerato Romulo potest dici genus; et sic prima significatio generis habet duo membra.

Et est intelligendum quod non quecumque multitudo descendens ab uno patre dicitur genus, quia sic collectio omnium hominum diceretur unum genus, quod falsum est, sed multitudo descendens ab uno patre a quo tamen alii patres non descendant dicuntur genus in prima significazione generis.

Dicitur autem et aliter (Busse, 1.25; Paluello 6.8) Secunda significatio generis est principium generationis. Et isto modo dicitur pater esse genus filii, quia est principium generationis filii, et etiam locus dicitur esse genus locati, quia est principium generationis locati.

Intelligendum quod cum dicitur locus est principium generationis <locati> non accipitur locus pro loco proprio qui non plus continet quam ipsum locatum, sed accipitur pro loco communi, sicut pro villa vel civitate vel regno. Intelligendum quod pater est principium effectivum generationis, et locus est principium conservativum generationis et etiam rei generate.

Aliter autem rursus (Busse, 2.11; Paluello 6.21) Tertia significatio generis est id cui supponitur species. Et sic accipitur genus apud philosophos. Unde genus apud logicos est id cui supponitur species, nec est id cui supponitur species diffinitio generis, sed una significatio eius.

<SECUNDA PARS PRIMI CAPITULI>

Tripliciter igitur cum genus dicatur (Busse, 2.14; Paluello 6.21) Positis significationibus generis, ponit auctor descriptionem generis, que est ‘predicari de pluribus differentibus specie in eo quod quid’. Et quod hec descriptio sit bene data declarat auctor. Et hec est prima conclusio huius libri, scilicet quod hec est prima descriptio generis ‘predicari de pluribus differentibus specie in eo quod quid’. Hec conclusio probatur sic. Hec est diffinitio seu descriptio generis que inest generi, et per cuius partes genus distinguitur a quolibet quod non est genus. Nam de ratione diffinitionis est quod conveniat diffinito, et quod per partes eius diffinitum distinguatur a quolibet alio, ut patet ex sexto *Topicorum*¹⁰. Sed ‘predicari de pluribus differentibus in specie in eo quod quid’ inest generi, ut notum est. Et per particulas hic positas distinguitur genus a quolibet quod non est genus. Ergo hec est diffinitio vel descriptio generis, scilicet ‘predicari de pluribus’ et cetera. <Et per consequens genus est diffinitive illud quod predicitur de pluribus differentibus specie in eo quod quid>. Quod autem per particulas in illa diffinitione predicas differt genus a quolibet alio probat Porphyius. Nam per hanc particulam ‘predicari de pluribus’ differt genus ab individuo quod predicitur de uno solo, et per hanc particulam ‘differentibus specie’ differt genus a speciebus specialissimis, que non predicanter nisi de differentibus solo numero, et per hanc particulam ‘in eo quod quid’ differt genus a differentia, et a proprio et accidente, que predicanter in quale et non in quid. Quod autem predicta, scilicet differentia, proprium et accidens predicanter in quale patet, quia ad questionem factam per quale de individuo, convenienter respondet per differentiam, vel proprium, vel accidens. Sed genus predicitur in quid de individuo, quia ad questionem factam per quid de individuo, convenienter respondet per genus, ut si queratur quid est Sortes convenienter respondet quod est animal.

Hic sunt tria notanda: primo quod hec oratio ‘que predicitur de pluribus et cetera’ non est diffinitio generis, nisi extendendo nomen diffinitionis ad descriptionem, et ratio huius est quia hoc commune genus non est genus in aliquo certo genere, cum reperiatur in quolibet predicamento, et quod circuit omne genus in nullo genere est determinate, et ideo hoc commune genus non habet diffinitionem, nec predicitur in quid, nec indicat quiditatem alicuius.

Secundo est notandum quod aliud est quod hic diffinitur, et alia pro quibus diffinitur. Unde id quod hic diffinitur est intentio secunda, et est communis decem generibus generalissimis et etiam

generibus subalternis, sed illa pro quibus diffinitur sunt ista genera generalissima et subalterna, quia illis competit ista descriptio ‘predicari de pluribus et cetera’. Unde cum dicitur genus sic diffinitur ‘quod predicatur de pluribus’, hoc nomen ‘genus’ habet ibi suppositionem simplicem et non personalem, quia nullum genus sic diffinitur, nec est aliquid convertibile genus cum hac diffinitione, ut de se patet. Sed cum dicitur ‘genus est quod predicatur de pluribus’, hic hoc nomen genus habet suppositionem personalem. Si enim haberet suppositionem simplicem esset falsa, quia hec intentio genus sive hoc commune genus non predicatur in quid de pluribus differentibus specie. Unde cum sic dicitur ‘homo diffinitur’, iste terminus ‘homo’ habet suppositionem simplicem; et cum dicitur sic ‘homo est animal rationale’, iste terminus ‘homo’ habet suppositionem personalem secundum quod est animal. Unde, cum dicitur <‘genus sic diffinitur’>, iste terminus genus habet suppositionem simplicem, et cum dicitur> ‘genus est quod predicatur’ et cetera, iste terminus genus habet suppositionem personalem, et sic patet (*interl.*) quod terminus habet aliam et aliam suppositionem respectu actus exerciti, et respectu actus significati. Unde hec est vera ‘animal predicatur de omni homine’ secundum quod subiectum habet suppositionem simplicem, et in actu exercitato ubi exercetur predication habet (*marg.*) iste terminus animal suppositionem personalem, ut in ista ‘omnis homo est animal’.

Tertio est notandum quod in hac descriptione ‘quod predicatur de pluribus’ et cetera, ly ‘de pluribus’ accipitur pro suo positivo, et non accipitur comparative. Unde sensus est quod genus est quod predicatur (*marg.*) de multis differentibus in specie, ita quod circa ista duo ‘pluribus’ et ‘differentibus specie’ est constructio intransitiva. Quod autem li ‘de pluribus’ non accipitur comparative in predicta descriptione (quod...descriptione *marg.*) patet, quia si acciperetur comparative sensus esset iste ‘genus est quod predicatur de pluribus quam sunt differentia in specie’, sed intellectus non est talis, quia descriptio generis competit omni generi, sed non competit generi predicari de pluribus quam sunt differentia specie, quia genus infimum sicut non habet sub se nisi duas species non predicatur de pluribus quam sunt differentia specie. Quod ergo comparativum potest accipi pro positivo et e converso patet. Nam quando dicitur plures homines currunt, accipitur comparativum pro positivo: nam idem est dicere ‘plures homines currunt’ et dicere ‘multi homines currunt’. Et positivum aliquando accipitur pro comparativo, ut hic bonum est confidere in Domino quam confidere in homine, quia intellectus est iste: melius est confidere in Domino et cetera.

¹⁰ ARISTOTELES, *Topica* VI, 3, 140a27-30.

<Capitulum secundum: de specie>

Species autem dicitur (Busse, 3.21; Paluello 8.17) Istud est secundum capitulum tractatus primi, in quo determinatur de specie et de ordinatione et ordinatis in linea predicamentali. Et continet istud capitulum duas partes principales: in quarum prima ponuntur significations et descriptiones speciei; in secunda ibi ‘Planum autem’ ad declarationem eorum que dicuntur de specie enumerat ea que ponuntur in linea predicamentali et determinat de eis et de ordine ipsorum.

<PRIMA PARS SECUNDI CAPITULI >

Prima pars est partim narrativa, et partim inquisitiva. Primo ergo narrando ponit unam significationem speciei que non pertinet ad logicum, dicens quod species uno modo dicitur uniuscumque forma, et secundum istam significationem dicitur quod species Priami digna est imperio. Et accipitur hic species pro decore et pro pulchritudine <et potest intelligi tam de pulchritudine> corporis quam de pulchritudine anime <que> est virtus anime. Deinde ponit aliam significationem speciei, que est quod species est que ponitur sub assignato genere. Et hec est una descriptio speciei, que pertinet ad logicum. Unde auctor ponit tres descriptiones speciei (que....speciei *marg.*), secundum significationem speciei pertinentem ad logicum. Prima est quod species est que ponitur sub assignato genere, et circa istam descriptionem auctor ponit dubium, et modo suo respondet, ut videbitur prolixius in fine huius prime partis.

Assignant ergo (Busse, 4.10; Paluello 9.4) Secunda descriptio est quod species est que ponitur sub assignato genere, et de qua genus predicatur in quid.

Et amplius autem (Busse, 4.11; Paluello 9.5) Tertia descriptio speciei est quod species predicatur de pluribus differentibus in numero in eo quod quid. Et intelligitur ista descriptio cum precisione, sic quod species est quod solum predicatur de pluribus differentibus in numero, et non de differentibus in specie. Et nisi intelligeretur descriptio cum precisione, hec descriptio competenteret generi generalissimo, quia genus generalissimum predicatur de pluribus differentibus in numero in eo quod quid. Intellecta tamen hac descriptione cum precisione, non competit generibus generalissimis, nec speciebus subalternis. Iste tres descriptiones sic comparantur adinvicem, quia prime due descriptiones competunt tam speciebus specialissimis quam speciebus subalternis, sed tertia intellecta cum precisione ut dictum est solum competit speciebus specialissimis.

Circa primam descriptionem hic positam, ponit auctor dubitationem talem: in diffinitione generis pono (*pro: ponitur*) species, ut dictum est capitulo de genere, ubi dicitur quod genus predicatur de pluribus differentibus specie; ergo in diffinitione speciei non debet poni genus, quia idem respectu eiusdem non potest esse diffiniens et (**3ra**) diffinitum. Ergo male describitur species cum dicitur quod ‘species est que ponitur sub assignato genere’.

Ad istud respondet auctor dicens quod genus et species sunt relativa. Nam genus dicitur alicuius speciei genus, et species dicitur alicuius generis species. Et ideo necesse est quod utrumque ponatur in diffinitione alterius. Unde secundum istum auctorem in relativis non est inconveniens, sed magis est necessarium quod idem respectu eiusdem sit diffiniens et diffinitum.

Sed hic sunt duo dubia. Primum est an genus et species sint relativa. Secundum est an unum relativorum debeat poni in diffinitione alterius.

Ad primum dubium arguitur sic, probando quod genus et species non sunt relativa, quia illa que sunt communia omnibus predicamentis non sunt in aliquo predicamento determinato; sed genus et species sunt communia omnibus predicamentis, quia in omni predicamento sunt genera et species; ergo genus et species non sunt in aliquo determinato predicamento, et per consequens non sunt in genere relationis, et per consequens non sunt relativa.

Item, relativa sunt simul natura per Philosophum in *Predicamentis*¹¹. Sed genus et species non sunt (*marg.*) simul natura, quia genus est naturaliter prius specie per Philosophum in *Predicamentis*¹², qui dicit quod prius naturaliter est a quo non convertitur subsistendi consequentia. Huiusmodi est genus, igitur et cetera. Ad oppositum est auctor.

Ad secundum dubium arguitur probando quod unum relativorum non ponitur in diffinitione alterius, quoniam diffinitio datur causa innotescendi. Quelibet ergo pars diffinitionis debet esse notior ipso diffinito, sed unum relativorum non est notius alio; ergo et cetera. Hoc confirmatur sic: si de diffinito queratur quid est, convenienter respondetur per diffinitionem, ita quod diffinitio certificat de questione querente quid est de diffinito. Sed si fiat questio ‘quid est’ de uno relativo, non contingit certificari querentem de illa questione per diffinitionem vel descriptionem in qua ponitur unum relativorum; ergo et cetera. Maior patet, et minor declaratur. Nam si queratur quid est pater, et respondeatur sic: ‘pater est qui habet vel genuit filium’, querendum est quid est filius, quia filius est modo eque ignotus sicut pater. Et si dicitur quod filius est qui habet patrem, adhuc contingit querere quid est pater sicut prius, et ita numquam ero certificatus de aliquo relativorum quid est, quia respondendo per eque ignotum non sum nec esse possum certificatus. Unde potest sic argui: illa non est diffinitio alicuius per quam non possum esse certificatus de diffinito, sed per diffinitionem relativi in qua ponitur suum correlativum non possum certificari de illo relativo ut visum est, ergo et cetera.

Item, quandocunque in diffinitione ponitur aliquid diffinibile, si diffinitio <illius diffinibilis> ponitur in loco <eius, verior et> expressior (ponitur...expressior *marg.*) <erit diffinitio> in qua loco

¹¹ ARISTOTELES, *Predicamenta*, 7, 7b15-16.

¹² ARISTOTELES, *Predicamenta*, 13, 15a4-6.

diffinibilis ponitur sua diffinitio, ut patet sexto *Topicorum*¹³. Si ergo in diffinitione patris poneretur filius, si in loco filii ponatur diffinitio filii, ista diffinitio patris erit verior et expressior. Sed in diffinitione filii, secundum istam opinionem, debet poni pater; ergo in verissima et expressissima diffinitione patris debet poni pater. Sed hoc est inconveniens, scilicet quod idem ponatur in diffinitione sui ipsius.

Ad oppositum tamen est auctor.

Ad primum dubium, cum queritur an genus et species sint relativa, dicendum quod genus et species possunt accipi vel pro his que principaliter significant, vel pro his que denominant. Si accipientur pro his que significant, tunc accipiuntur pro intentionibus in anima communibus generibus et speciebus cuiuslibet predicamenti: et sic sunt relativa, quia intentio generis refertur ad intentionem speciei, et e converso. Si vero accipientur pro his que denominant, sic accipiuntur pro illis de quibus predicanter, ut pro homine et pro animali; et sic est falsum dicere quod genus et species sunt relativa, quia homo et animal non sunt relativa, nec albedo et color sunt relativa. Si genus et species accipiuntur pro his que primo significant, sic habent suppositionem simplicem, sed quoniam genus et species accipiuntur pro his que denominant, tunc habent suppositionem personalem.

Ad primum in contrarium, cum dicitur quod genus et species sunt communia omnibus predicamentis, ergo et cetera, dicendum quod genus et species uno modo non sunt relativa determinati generis, sed sunt relativa transcendentia, quia reperiuntur in quolibet predicamento. Aliter potest dici quod idem potest esse in omnibus predicamentis denominative, et tantum in uno predicamento quiditative: et sic genus et species sunt in omni predicamento denominative, quia denominant res omnium predicamentorum, et tamen sunt quidditative in uno predicamento tantum, scilicet in predicamento relationis.

Ad secundum, cum dicitur quod genus naturaliter est prius specie, dicendum quod accipiendo genus et species pro his que principaliter significant, sic neutrum est prius naturaliter alio, sed sunt simul natura. Sed accipiendo genus et species pro his que denominant, sic genus naturaliter est prius specie, ut animal homine, sed accipiendo genus et speciem hoc modo non sunt relativa.

Ad secundum dubium dicunt quidam quod loquendo de diffinitione indicante quiditatem rei non debet unum relativorum poni in diffinitione alterius, et sic intelligit auctor, sed in diffinitione exprimente quid nominis bene debet unum relativorum poni in diffinitione alterius.

Sed mihi videtur quod unum relativorum non debeat poni in (3rb) diffinitione exprimente quid nominis alterius, nec in diffinitione exprimente quid rei alterius, quia utraque diffinitio notificat diffinitum et est notior quam diffinito. Nam, diffinitio exprimens quid nominis notificat quid nomen significat, et diffinitio exprimens quid rei notificat quiditatem diffiniti. Sed unum relativum non est

¹³ ARISTOTELES, *Topica* VI, 4, 142b2-4.

notius altero, nec oratio in qua ponitur unum relativorum est notior alio relativo. Et ideo bene dicit Avicenna in *Logica* sua¹⁴, quod, dicentes unum relativorum deffiniri per reliquum, non advertunt differentiam inter esse notum cum alio et esse notum per aliud. Unde unum relativorum est notum cum alio, quia sunt simul cognita; sed unum relativorum non est notum per aliud.

Dico ergo propter rationes iam factas quod, loquendo de diffinitione exprimente quid nominis (q.n. *interl.*) secundum quod Aristoteles loquitur, sic unum relativorum non diffinitur per reliquum. Loquendo enim de diffinitione exprimente quid rei, manifestum est quod unum relativorum non diffinitur per reliquum, quia unum relativorum non est de quiditate alterius, nec est notius suo correlativo. Loquendo etiam de diffinitione exprimente quid nominis non diffinitur unum relativorum per reliquum, quia diffinitio quid nominis notificat quid nomen significat. Sed unum relativorum non notificat quid nomen alterius relativi significat aliud, ergo et cetera. Probo minorem: nam, si queritur quid hoc nomen ‘pater’ significat, et respondetur quod hoc nomen ‘pater’ significat ‘illud qui genuit filium’, querendum est ulterius quid hoc nomen ‘filius’ significat. Si dicitur quod hoc nomen ‘filius’ significat ‘illum qui habet pater’, adhuc restat questio quid hoc nomen pater significat, et non est maior certitudo de significatione huius quam fuit in principio.

Dico ergo quod nullum relativum habet diffinitionem proprie, quia relativum non est per se in genere, sed relatio. Et relatio bene potest diffiniri, sed non per relationem oppositam, sed per proprium genus et propriam differentiam, si eis [in]sint nomina imposita, loquendo de diffinitione exprimente quiditatem diffiniti. Extendendo tamen diffinitionem ad <o>rationem significantem idem quod unum relativum, sive illa oratio sit notior quam nomen, sive sit eque ignota, sic concedo quod unum relativorum diffinitur per reliquum, quia bene contingit accipere unam orationem in qua ponitur unum relativorum significans illud quod nomen alterius relativi. Idem enim quod hec oratio, scilicet oratio ‘qui genuit filium’ significat, hoc nomen ‘pater’ significat idem. Tamen hec oratio non est diffinitio exprimens quid rei patris nec quid nominis eius (*interl.*), quia non est notior, ut probatum est. Et sic forte intelligunt auctores dicentes unum relativorum diffiniri per reliquum. Istum tamen modum accipiendi diffinitionem reprobat Philosophus in secundo *Posteriorum*¹⁵, quia sic tota hystoria de bello troiano diceretur una diffinitio, quia unum nomen imponitur, et iam est impositum toti illi hystoriae, scilicet hoc nomen ylias, et sic tota hystoria troiana esset diffinitio ylie, quod non videtur verum.

Et si dicitur quod, quamvis hoc nomen pater non habet diffinitionem proprie dictam cum non sit in genere, tamen potest habere diffinitionem exprimentem quid nominis, quia, sciens quid hoc nomen ‘pater’ significat, potest notificari alteri, et quere qualiter, dicendum quod hoc relativum quantum ad

¹⁴ AVICENNA, *Logica*, Venetiis 1508, 6vb.

¹⁵ ARISTOTELES, *Analityca Posteriora* II, 7, 92b31-33.

quid nominis potest notificari et cetera, potest aliquo modo describi, non tamen per suum correlativum, verbi gratia pater potest sic describi ‘pater est qui de sua substantia genuit sibi similem in specie’, et ‘filius est qui genitus est de substantia similis sibi in specie’. Et dico de substantia *<sibi similis in specie>*, quia per hoc distinguitur generatio animatorum a generatione inanimatorum: nam in animatis et maxime in animalibus generatis per propagationem, sic genitum generatur de substantia generantis, sed in inanimatis generans producit genitum de substantia aliena, ut ignis ex substantia aeris generat ignem. Et ideo in inanimatis generans non dicitur pater nec genitum filius.

<SECUNDA PARS SECUNDI CAPITULI>

Planum autem (Busse 4.15; Paluello 9.10) Hec est secunda pars huius capituli, in qua ad evidentiam predictorum enumerat illa que ponuntur in linea predicamentalis, et diversas proprietates eis assignat. Dicit ergo quod in unoquoque predicamento, hoc est in quolibet ordine predicamentali, quedam sunt generalissima. Et ponitur plurale pro singulari: non enim in ordine quolibet predicamentali sunt plura generalissima, sed in quolibet ordine predicamentali est quoddam genus generalissimum et quedam species specialissima et quedam intermedia. Generalissimum est supra quod non est aliquod supraveniens genus (generalissimum....genus *marg*); specialissimum est sub quo non est inferior species; illa vero que sunt intermedia sunt genera et species: respectu inferiorum sunt genera et respectu superiorum sunt species. Sed generalissimum est quod est ita genus, quod non species; et specialissimum est quod est sic species, quod nullo modo genus. Et sic generalissimum et specialissimum habent duas descriptiones, quarum una est (3va) quod generalissimum est supra quod non est aliquod aliud genus; et alia est ‘generalissimum est quod est ita genus, quod nullo modo species’. Et specialissimum describitur dupliciter: uno modo specialissimum est sub quo non est inferior species; alio modo sic specialissimum est quod est ita species quod nullo modo genere. Intermedia vero sunt genera et species respectu diversorum. Et ponit exemplum familiarius: nam sicut est in familiis sive in linea consanguinitatis, quod est aliquis qui est ita pater quod non est filius, et aliquis qui est ita filius, quod nullo modo est pater; aliqui sunt intermedii qui sunt patres et filii respectu diversorum, ut Agamennon et Atrides. Etiam ita est in predictis consimiliter, quod est aliquid quod est ita genus quod non *<est>* species, et aliquid quod est ita species et non est genus, et aliqua intermedia que sunt genera et species respectu diversorum. Sed forte dicitur quod in familiis est devenire ad unum principium, verbi gratia in tota cognatione hominum est devenire ad primum patrem, puta ad Iovem secundum aliquos seu ad Adam secundum universitatem. Ergo, si sit simile de predicamentis et de familiis, esset in predicamentis invenire unum genus commune omnibus predicamentis quod non est verum.

Ad istud respondetur quod non est simile omnino de predicamentis et de familiis, quia in familiis est unum principium, et in predicamentis non est aliquod unum genus commune omnibus predicamentis. Et hec est secunda conclusio huius libri, scilicet quod decem predicamentis non est aliquod genus commune. Hec conclusio probatur sic: decem predicamentis esset aliquod genus commune si hoc maxime esset ens, sed ens non est genus commune omnibus decem predicamentis, ergo et cetera. Probo minorem: nullum genus est equivocum illis quibus est genus, sed ens dicitur equivoce de decem predicamentis, ergo et cetera.

Si quis enim omnia vocet entia, equivoce nuncupabit. Cum enim decem predicamenta sint prima principia, nullum commune habent nisi secundum nomen. Et sic patet quod decem predicamentis non est aliquod genus commune, sed in unoquoque predicamento est unum genus generalissimum et plures species specialissimae, non tamen infinite, sed finite quo ad numerum. Sed individua sunt infinita. Et ideo descendantibus a (*interl.*) generalissimis ad specialissima iubet Plato quiscere cum individua sunt infinita et de infinitis non est ars nec scientia.

Descendentibus autem (Busse 6.17; Paluello 12.13) Ex predictis concludit unam conclusionem que est tertia huius libri, et est ista: quod descendantibus a generalissimis ad specialissima oportet ire per multitudinem dividendo, sed ascendendo oportet colligere multitudinem in unum. Probo sic: inferiora plura sunt quam superiora; sed in descendendo proceditur a superioribus ad inferiora dividendo, sed in ascendendo proceditur ab inferioribus ad superiora; ergo descendendo a generalissimis oportet ire per multitudinem dividendo unum in multa, et ascendendo oportet ire a multis ad unum colligendo ista multa in unum. Verbi gratia, descendendo a genere generalissimo incipitur ab uno et proceditur ad multa dividendo, ut patet sic dividendo substantiam alia corporea, alia incorporea; et substantia corporea alia est sensibilis, et alia insensibilis, et sic usque ad species specialissimas; sed ascendendo e contra proceditur a multis ad unum colligendo, verbi gratia sic dividendo Sortes et Plato habent supra se hoc commune homo, et homo et asinus habent supra se hic commune animal, et animal et planta habent supra se hoc commune corpus animatum, et sic ascendendo quoisque deveniatur ad genus generalissimum, et in isto processu itur colligendo multitudinem in unum.

Collectivum tamen (Busse 6.17; Paluello 12.15) Hic narrat Porphyrius quod species est collectivum plurium in unam naturam, sed genus est magis collectivum quam species, quia plura continet sub se. Et singularia separata sunt divisiva (*pro:* individua) illius quod commune est. Et singularia sunt unum in (*interl.*; *pro:* cum) illo quod commune est eis, verbi gratia: ‘Participatione speciei plures homines sunt unus homo’.

Intelligendum quod hec propositio ‘participatione speciei’ etiam est falsa in sensu quem facit, quia ly homo stat particulariter pro aliquo supposito, et pro qualibet est falsa. Sensus tamen in quo fit est

verus, et est quod plures sunt in participando hanc speciem que est homo, et quod de pluribus hominibus predicatur hec species homo.

Assignato quidem genere (Busse 7.1; Paluello 12.22) Narrat qualiter genus se habet ad speciem: et dicit quod divisio generis semper fit in plures species, et genus predicatur de specie et non e converso, scilicet predicatione proprie dicta. Species enim non predicatur de genere directe, quia id quod proprie predicatur de aliquo oportet quod sit superius vel convertibile cum ipso. Et propter hoc individuum predicatur de uno solo, et de seipso, quia non habet inferius eo de quo possit predicari. Sciendum quod hoc nomen individuum potest accipi vel pro eo quod significat, et sic predicatur (**3vb**) de multis (nam Sortes est individuum et Plato est individuum) vel potest accipit pro eo quod denominat, et sic loquitur auctor: hic Sortes enim est id quod hoc nomen individuum denominat, et Sortes predicatur de uno solo proprie ut de se ipso.

Individua dicuntur (Busse 7.22; Paluello 13.24) Hic narrat qualiter individua distinguuntur. Et dicit quod quodlibet individuum constat ex multis proprietatibus accidentalibus quorum collectio non potest simul reperiri in alio individuo. Cuiusmodi proprietates sunt, scilicet qualitas, quantitas, figura, locus et tempus, et cetera. Unde sunt septem sunt proprietates quarum collectio numquam reperitur in duabus individuis simul. Unde visus, forma, figura, locus, tempus, cognomine (*pro: cum nomine*) sanguinis, patria sunt septem que non habet unus et alter. Iste enim sunt proprietates individuales que numquam eodem numero simul recipiuntur in diversis individuis, proprietates tamen speciei simul recipiuntur in omnibus individuis speciei, cuiusmodi sunt risibile, capax discipline, et cetera, que sunt proprietates speciei humane, et simul reperiuntur in omnibus individuis hominis. Et sciendum quod hic auctor loquitur de individuis in genere substantie tamquam de nobilioribus. Individua autem accidentium non habent huiusmodi proprietates, sed magis sunt proprietates aliorum. Nec intendit auctor dicere quod huiusmodi proprietates sunt constitutive individui substantie, sed quod insunt subiective non sicut partes sed sicut accidentia. Intelligendum est quod unum individuum substantie non distinguitur ab alio individuo solum per huiusmodi proprietates, sed secundum veritatem individuum substantie distinguitur ab alio individuo accidentaliter per huiusmodi proprietates, et formaliter per formam suam, materialiter per materiam suam. Unde Sortes distinguitur a Platone accidentaliter per accidentia sua, formaliter per suam formam et materialiter per suam materiam.

Continetur ergo individuum (Busse 7.29; Paluello 14.7) Ex predictis concludit auctor conclusionem quartam huius libri que est ista: quod individuum continetur in specie, et species in genere. Istud patet ex ordinatione in linea predicamentali. Et etiam probatur sic: omnis pars continetur in suo toto, sed individuum est pars speciei, et species est pars generis. Ergo individuum continetur in specie, et species continetur in genere. Et addit auctor quod individuum est pars et

species est pars et totum alterius tamen et alterius. Species enim est pars generis et est totum respectu individui.

De genere quidem et specie (Busse 8.4; Paluello 14.11) Recapitulans dicit quod intelligendum est quod individuum est pars subiectiva speciei, quia species predicatur de individuo in recto; et propter eandem causam species est pars subiectiva generis (*marg.*), quia genus predicatur in recto de specie; et hec est differentia inter partem integralem et partem subiectivam, quia de parte subiectiva vere predicatur suum totum in recto, sed de parte integrali non vere predicatur totum in recto, sed in obliquo. Manus enim et caput sunt partes integrales hominis, quia integrant hominem. Et ita hec est falsa: ‘manus est homo’, vel ‘caput est homo’.

Et sciendum <quod sicut> est duplex pars, ita est duplex totum, scilicet <totum> universale ut homo respectu Sortis et Platonis, et totum integrale ut domus respectu parietis et tecti; respectu tamen huius domus et illius est totum universale. Unde respectu diversorum idem est totum integrale et totum universale, pars integralis et pars subiectiva: nam hec manus est pars subiectiva manus, et pars integralis hominis.

Sed dubitatur, quia non videtur quod genus sit totum respectu speciei, quia idem respectu eiusdem non est pars et totum; sed genus est pars speciei, quia est pars diffinitionis, et pars diffinitionis significat partem rei diffinitae per Philosophum VII *Metaphysice*¹⁶.

Dicendum quod est impossibile quod idem sit pars et totum respectu eiusdem eodem genere vel acceptione totius et partis, tamen diversis acceptationibus totius et partis potest idem esse totum et pars respectu eiusdem. Verbi gratia sic dicendo ‘propositio est vera’, iste terminus ‘propositio’ est pars integralis huius propositionis ‘propositio est vera’, tamen est totum universale respectu eiusdem, quia iste terminus ‘propositio’ est totum universale respectu cuiuscumque propositionis. Etiam consimiliter dico quod animale est pars quidativa seu diffinitiva hominis, et tamen est totum universale respectu hominis. Et sic sub diversis acceptationibus potest idem esse totum et pars respectu eiusdem, et cetera.

¹⁶ ARISTOTELES, *Metaphysica* VII, 10, 1034b20-23.

<Capitulum tertium: de differentia>

Differentia vero communiter (Busse 8.7; Paluello 14.15) Istud est tertium capitulum primi tractatus, in quo determinatur de differentia. Et continet duas partes principales: in prima ponuntur diverse significaciones seu diffinitiones differentie cum earum explanatione; in secunda ibi ‘quas etiam determinantes’ ponuntur descriptiones differentie de quibus intendit.

<PRIMA PARS TERTII CAPITULI>

Prima pars est narrativa, in qua narrat auctor tres divisiones: prima divisio est quod quedam est differentia communiter dicta, quedam proprie dicta et quedam est magis proprie dicta.

Differentia communiter dicta est qua alterum differt ad altero quadam alteritae, hoc est, quadam diversitate accidentalis; et sic Sortes differt a Platone per (**4ra**) motum, et Plato a Sorte per quietem, posito quod Sors moveatur et Plato quiescat. Unde, differentia communiter dicta est qua alterum differt ab altero per aliquod accidens: et sic, idem uno tempore potest differre a seipso alio tempore, ut Sors senex dicitur differre a se puer. Et intelligo illud negative, scilicet quod Sortes senex non est Sortes puer, nec Sortes puer est Sortes senex. Ista tamen est semper falsa ‘Sors differt a se ipso’, verumtamen Sors acceptus cum aliqua determinatione bene differt a seipso accepto cum alia determinatione, loquendo de differentia negative: sic quod Sors cum una determinatione negatur a seipso accepto cum alia determinatione. Loquendo positive de differentia, sic neganda est ista ‘Sors senex differt a seipso puer’, quia differentia positiva non est nisi inter existentia, et Sors non potest simul esse senex et puer.

Differentia proprie dicta est qua alterum differt ab altero accidente inseparabili, et sic differt oculus cecus ab oculo vidente, et nasus concavus a naso simo.

Differentia magis proprie dicta est qua alterum differt ab altero specifica differentia: et sic homo differt ab equo per hanc differentiam que est rationalis.

Hec differentie comparantur adinvicem, quoniam in hoc convenient, quod omnis differentia facit alteratum, sed in hoc differunt, quod differentia communis facit alteratum solum, et differentia propria similiter, sed differentia magis proprie dicta non solum facit alteratum, sed etiam facit aliud, hoc est, diversitatem essentiale [et etiam accidentalem indifferenter]. Unde, facere alteratum est superius ad facere aliud: nam, facere aliud est facere diversitatem essentiale, <sed facere alteratum est facere diversitatem essentiale> et accidentalem indifferenter; verumtamen, auctor per facere alteratum solum intelligit facere diversitatem accidentalem.

Notandum quod illa divisio differentie in communem, propriam et magis propriam est divisio vocis in suas significaciones, et non est divisio differentie que est unum de istis universalibus. Immo differentia hic divisa continet equivoce tam accidens, et proprium et differentiam que est unum de

istis quinque universalibus de quibus est iste liber. Unde differentia communiter <dicta> dicitur de accidente, quod est unum de quinque universalibus, et differentia proprie dicta dicitur de proprio, quod est unum quinque universalium, et differentia magis propria est differentia que est unum quinque universalium de quibus auctor intendit.

Differentiarum vero (Busse 8.19; Paluello 15.5) Secunda divisio differentie est quod quedam differentia facit alteratum et quedam aliud. Differentia faciens alteratum est duplex, quia quedam est accidens separabile, <et quedam est accidens inseparabile>.

Secundum vero aliud (Busse 9.2; Paluello 15.11) Narrat <auctor> quod secundum differentias facientes aliud fiunt divisiones generum in species, et etiam assignantur diffinitiones que fiunt ex generibus et differentiis, sed secundum differentias facientes alteratum tantum non dividuntur genera in species nec assignantur diffinitiones.

A superioribus ergo rursus (Busse 9.7; Paluello 15.17) Tertia divisio differentie est quod quedam sunt separabiles, et quedam inseparabiles. Differentie separabiles sunt ut accidentia separabilia, cuiusmodi sunt quiescere et moveri et similia. Differentia inseparabilis dividitur, quia quedam est per accidens, ut simum <et aquilinum>, et quedam per se, ut differentie specifice. Differentie per se faciunt aliud, et accipiuntur in diffinitione. Sed differentie per accidens non faciunt aliud, sed alteratum solum, et non accipiuntur in diffinitione. Adhuc differunt differentie per accidens et per se, quoniam differentie per accidens suscipiunt magis et minus, sive sint separabiles, sive inseparabiles, sed differentie per se non suscipiunt magis et minus. Et hoc probat auctor, et est quinta conclusio huius libri, scilicet quod differentie per se non suscipiunt magis et minus. Hec conclusio probatur sic: esse rei, id est essentia substantie, non suscipit magis et minus, ergo, illa que indicant essentia substantie non suscipiunt magis et minus (e.m. *marg.*); sed differentie per se indicant essentiam substantie, ergo differentie per se non suscipiunt magis et minus.

Intelligendum quod auctor loquitur hic de differentiis substantie, et de illis verum est quod non suscipiunt magis et minus; differentie tamen per se accidentium, que suscipiunt magis et minus, bene suscipiunt magis et minus. Nam, albedo suscipit magis et minus, immo disaggregativum visus quod est in ipsa (*pro:* eius differentia) suscipit magis et minus. Nam, aliquis color magis disaggregat visum et aliquis minus.

Cum igitur tre species differentie (Busse 9.24; Paluello 16.13) Recapitulando ostendit illud membrum divisionis quod intelligit, <dicens quod, cum> sint <tres> species differentie, quoniam quedam sunt separabiles et quedam inseparabiles, et differentiarum inseparabilium quoniam quedam sunt differentie per se et per accidens, de differentiis per se intendimus; et istarum differentiarum, scilicet per se, quedam divisive generum et quedam constitutive specierum. Et ponit exempla que satis patent.

Et est sciendum quod ista subdivisio differentie non est divisio pr opposita nisi referendo divisionem et costitutionem ad idem. Nam differentie que dividunt genus, ille eadem differentie constituunt species contentas sub genere, ut patet, quia rationale et irrationale dividunt animal; immo rationale et irrationale constituunt species contentas sub animali et dividunt animal. Impossibile tamen est quod eadem differentie sint divisive et constitutive respectu eiusdem. Nam, quia rationale et irrationale dividunt animal; immo neutrum istarum costituit diffinitionem animalis. Unde iste differentie corporeum, animatum, sensibile constituunt animal et non dividunt ipsum; sed rationale et irrationale dividunt animal. Unde referendo ad idem, sic semper sunt alie differentie divisive et alie constitutive; tamen, in comparatione ad diversa, eadem differentie sunt divisive et constitutive: differentie enim que dividunt genus, ille eadem constituunt species.

Intelligendum est quod auctor dicit hic quod rationale et mortale dividunt animal, sed rationale et immortale sunt differentie constitutive dei. Sed illud non dicit nisi secundum opinionem aliquorum qui posuerunt deum et demones esse animalia.

<SECUNDA PARS TERTII CAPITULI>

Quas etiam determinantes (Busse 10.22; Paluello 17.15) Hec est secunda pars principalis huius capituli, in qua ponuntur descriptiones differentie de qua intendit. Et ponit quinque descriptiones differentie per se. Prima [pars] est quod differentia est qua species abundat a genere'. Et hec est sexta conclusio huius libri. Probatur sic: de illo quod species actu includit et genus non, abundat species a genere; sed differentiam species actu includit (s.a.i. *marg.*) et genus non includit actu differentiam; ergo differentia est illud quo species abundat a genere. Maior patet quia abundare a genere est actu plus habere quam genus; et minor patet, quantum ad utramque parte<m>; nam certum est quod species actu includit differentiam, ut homo actu includit rationale, ut de se patet, et quod genus non includat differentiam in actu declaratur. Nam qua ratione includeret in actu unam differentiam, eadem ratione includeret differentiam oppositam: qua enim ratione animal actu includeret rationale, eadem ratione includeret actu irrationale; et ita opposite differentie essent simul in eodem, scilicet in genere, quod est inconveniens. Et ita patet quod species abundat per differentiam a genere, cum genus non habeat differentiam in actu, sed genus habet differentias potestate et non actu, ut probatum est.

Intelligendum est quod genus non continet actu differentias divisivas, genus continet tamen actu differentias constitutivas sive diffinitionis; unde, quamvis animal non contineat rationale et irrationale, tamen continet actu corporeum animatum sensibile. Nec sunt ille differentie opposite: unde differentie constitutive alicuius non sunt opposite, sed differentie divisive sunt opposite.

Intelligendum est quod genus dicitur habere differentias in potentia indeterminationis tantum, quia genus non potest determinare <se ad> unam differentiam divisivam nec <ad> aliam. Sed genus non habet differentiam in potentia aut actu, quo modo materia est in potentia ad formam quam non habet. Immo genus in actu non habet differentiam, sicut nec unquam habebit. Sed quia genus indeterminate se habet ad differentias, ita quod nec includit unam differentiam nec aliam, ideo genus dicitur in potentia ad differentias: et hoc modo quodlibet genus est in potentia ad omnia sua inferiora. Et hoc postea potest convenienter dici potentia indeterminationis tantum.

Diffiniunt autem (Busse 11.7; Paluello 18.3) Secunda descriptio differentie est quod predicatur de pluribus differentibus specie in eo quod quale, ut rationale et mortale predicanter de homine in eo quod quale; sed genus predicatur de specie in eo quod quid, quia si queratur quid est homo, convenienter respondetur quod est animal, ideo animal convenienter predicatur de homine in eo quod quid; sed differentia predicatur de specie in eo quod quale.

Et hoc probat auctor: et hec est conclusio septima huius libri. Probatur sic: illud predicatur in quale de aliquo per quod convenienter respondetur ad questionem querentem quale ipsum est; sed ad questionem querentem qualis est species convenienter respondetur per differentiam: si enim queratur qualis est homo, convenienter respondetur quod est rationalis. Et addit auctor dicens quod genus est ut materia speciei, et differentia ut forma, sicut enim statua est ex ere, scilicet (**4va**) tamquam ex materia, et figura tamquam ex forma. Ita species est ex genere tamquam ex materia, et ex differentia tamquam ex forma.

Contra predictam descriptionem differentie arguitur sic: diffinitio, et etiam descriptio, debet competere cuilibet contento sub diffinito. Sed hec descriptio, ‘quod predicatur de pluribus et cetera’ non competit cuilibet differentie, quia non competit differentie ultime que convertitur cum specie specialissima; ergo non est bona descriptio.

Dicendum quod ultime differentie specierum sunt nobis ignote, nec habemus eis nomina imposita. Ideo per huiusmodi differentias non diffinimus, sed loco differentie ultime multa accipimus nomina quorum aggregatio convertitur cum differentia ultima, ut loco differentie ultime hominis accipimus totum hoc rationale mortale, quod convertitur cum differentia ultima, quia auctor hic non loquitur, nisi de differentiis per quas nos possumus diffinire. Cum ergo dicitur quod hec descriptio non competit omni contento sub diffinito, dicendum quod immo (*pro: sic*), quia illud quod hic diffinitur non est commune omnibus differentiis per se, quia non est commune differentiis ultimis. Et ideo bene competit hec descriptio omnibus contentis sub differentia hic diffinita. Unde hec descriptio differentie concordat cum dicto Aristotelis, secundo *Posteriorum*¹⁷, qui dicit quod quelibet pars

¹⁷ ARISTOTELES, *Analytica Posteriora* II, 13, 96a23-96b14.

diffinitionis debet se habere in plus quam diffinitum, et totum in eque; et per consequens quelibet pars diffinitionis predicatur de pluribus differentibus specie.

Sciendum quod rationale est commune hominibus et angelis, quia hic accipitur rationale pro omni eo quod potest uti ratione, quia tamen angeli non sint animalia, posset hec esse diffinitio hominis ‘animal rationale’. Et (*pro: nec*) addidit auctor hanc differentiam mortale, nisi secundum opinionem antiquorum dicentium angelos esse animalia.

Et si dicitur quod per rationale non distinguitur homo ab angelis, et species per differentias suas distinguitur ab omni alia specie, ergo in diffinitione hominis oportebit addere aliam differentiam per quam homo distinguitur ab angelis, huiusmodi autem est mortale, ergo mortale est differentia hominis, dicendum quod species non distinguitur per differentias suas ab omni alia specie, sed per differentias suas distinguitur ad omni alia specie contenta sub suo genere proximo, et per genus suum distinguitur ab omnibus speciebus que non continentur sub illo genere. Verbi gratia, posito quod hec sit diffinitio hominis ‘animal rationale’, tunc homo distinguitur per rationale ab omni alia specie contenta sub animali, scilicet asino, leone, capra, sed per rationale non distinguitur ab angelis, quia angeli non continentur sub animali; sed per hoc genus animal distinguitur homo ab angelis. Unde per animal, tamquam per medium, potest demonstrari quod nullus homo est angelus, sed illud quod est medium concludendi quod hoc non est hoc est illud quo hoc distinguitur ab hoc.

Et si dicitur quod omnis distinctio est per formam, ut patet ex septimo *Metaphysice*¹⁸, sed genus non est forma, sed habet modum materie secundum auctorem, ergo et cetera. Item, id quo una species differt ab alia est differentia: sola enim differentia est id quo aliquid differt ab alio, ut sonat nomen. Ergo, si per genus una species distinguitur ab alia, sequitur quod genus esset differentia. Consequens falsum et contra Philosophum sexto *Topicorum*¹⁹.

Ad primum dicendum quod non omnis distinctio est a forma, sed omnis distinctio forme est a forma, et hoc intelligit Philosophus²⁰. Et cum dicitur quod genus est velut materia, dicendum quod quamvis genus respectu differentie habeat modum materie, cum determinetur per differentiam sicut materia per formam, tamen genus est in se una forma declarans quiditatem speciei. Et ideo potest una species ab alia specie distingui formaliter per suum genus.

Ad aliud, cum dicitur quod illud quo aliquid differt ab alio est differentia, dicendum quod differentia potest accipi dupliciter quantum spectat ad propositum, uno modo large pro omni eo quo aliquid distinguitur ab alio, et isto modo posset concedi quod genus est differentia, quia est illud quo aliquid distinguitur ab alio; alio modo stricte pro eo solum quo genus per se dividitur in species,

¹⁸ ARISTOTELES, *Metaphysica* VII, 13, 1039a7 (HAMESSE, 187, p. 130).

¹⁹ ARISTOTELES, *Topicorum* VI, 3, 140a27-30; VI, 6, 144a9-10.

²⁰ ARISTOTELES, *Metaphysica* VII, 13, 1039a7 (HAMESSE, 187, p. 130).

et per quod una species differt ab alia specie contenta sub eodem genere proximo, et sic negat Philosophus²¹ genus esse differentiam.

Ex veritate iam dictam posset probabiliter poni quod nulla est differentia ultima convertibilis cum specie specialissima, immo quelibet differentia est in plus quam species specialissima per (4vb) dictum Philosophi secundo *Posteriorum* quod quelibet pars diffinitionis est in plus quam diffinitum, et totum in equa²²; quod autem non sit possibile talem differentiam esse convertibilem cum specie specialissima potest sic probari: differentia non ponitur nisi ad distinguendum speciem ab (*interl.*) aliis speciebus et ad costituendum diffinitionem speciei; sed propter neutrum illorum oportet ponere differentiam convertibilem cum specie specialissima; ergo frustra est ponere talem differentiam convertibilem cum specie specialissima. Maior patet, et probo minorem quantum ad utramque partem. Non enim oportet ponere talem differentiam ad distinguendum speciem a specie, quoniam per differentiam superiorem ad speciem distinguitur species sufficienter ab aliis speciebus contentis sub eodem genere proximo, ut homo sufficienter distinguitur per rationale ab omni alia specie contenta sub animali, et per suum genus distinguitur ab aliis speciebus que non continentur sub illo genere. Et ita non oportet ponere differentiam convertibilem cum specie specialissima ad distinguendum unam speciem ab aliis speciebus, neque oportet ponere unam differentiam convertibilem cum specie specialissima ad costituendum diffinitionem, quia diffinitio sufficienter constituitur ex genere et differentiis superioribus ad speciem, ut patet per Philosophum secundo *Posteriorum*, qui dicit quod quelibet pars diffinitionis est in plus quam diffinitum²³; patet etiam in diffinitione hominis in qua non ponitur aliqua differentia convertibilis cum homine.

Et si dicitur quod secundum hoc quod non sunt differentie ultime, quod est contra Philosophum, sed per Philosophum²⁴ differentia ultima convertitur cum specie, cuius contrarium tu dicis, ad primum dicendum quod bene sunt ponende differentie ultime, quia aliter procederetur in infinitum in differentiis, sed ex hoc non sequitur quod differentia ultima convertitur cum specie. Verbi gratia, ponamus quod mortale sit ultima differentia posita in linea laterali predicamentali substantie, aut in diffinitione hominis: ex hoc non sequitur quod mortale convertitur cum homine aut cum alia specie. Et cum dicitur per Philosophum²⁵ ultima differentia convertitur cum specie, dicendum quod Philosophus intelligit sic quod ultima differentia posita in diffinitione cum differentiis precedentibus est quid convertibile cum specie specialissima, non quod ipsa sola convertatur cum specie, sed aggregatum ex ultima differentia posita in diffinitione cum precedentibus differentiis

²¹ ARISTOTELES, *Topica* VI, 3, 140a27-30.

²² ARISTOTELES, *Analytica Posteriora* II, 13, 96a23-96b14.

²³ ARISTOTELES, *Analytica Posteriora* II, 13, 96a23-96b14.

²⁴ ARISTOTELES, *Metaphysica* VII, 12, 1038a18-20.

²⁵ ARISTOTELE, *Metaphysica* VII, 12, 1038a18-20.

facit unum convertibile cum specie specialissima, non quod ipsa sola convertitur cum specie, sed aggregatum ex ultima differentia posita in diffinitione cum differentiis precedentibus est convertibile cum specie specialissima.

Describunt et hoc modo (Busse 11.18; Paluello 18.16) Tertia descriptio differentie est quod est aptum natum dividere ea que sunt sub eodem genere, ut rationale et irrationale dividunt hominem et equum, que continentur sub eodem genere, scilicet sub animali.

Assignant autem (Busse 11.21; Paluello 18.19) Quarta descriptio differentie est quod differentia est qua differunt a se singula, scilicet contenta sub eodem genere. Et debet descriptio sic intelligi: differentia est qua species differt (interl) a singulis aliis speciebus contentis sub eodem genere. Unde, de virtute sermonis hec est falsa ‘differentia est qua differunt et cetera’, quia nulla differentia est qua singule species contente sub eodem genere differunt ab invicem, quia si esset aliqua talis differentia, illa competenter cuilibet speciei contente sub eodem genere, quia species non differt ab alia specie contenta sub eodem genere, nisi per differentiam que ei competit. Si ergo esset aliqua una differentia per quam singule species contente sub eodem genere differrent, sequeretur quod illa differentia competenter cuilibet speciei contente sub eodem genere. Et per consequens per illam differentiam non possent singule species contente sub eodem genere differre ab invicem, immo in ista differentia singule species illius generis convenienter. Et ita patet quod hec est falsa de virtute sermonis, et in sensu quem facit ‘differentia est qua differunt a se singula’; intellectus tamen in quo sit est verus et est iste: quod differentia est qua una species differt ab alia et singulis speciebus contentis sub eodem genere. Quod differentia sit hoc quod dictum est probat auctor. Et est octava conclusio huius libri, scilicet quod quelibet species differt a qualibet alia specie contenta sub eodem genere per differentiam. Probatur sic: quelibet species differt a quacumque alia specie sub eodem genere contenta aut per illud genus sub quo ille species continentur, aut per differentiam. Sed non differt per illud genus, quia in illo genere convenient, ergo per differentiam. Et sic patet quod quelibet species differt a qualibet alia specie contenta sub eodem genere per differentiam. Exempla ponit auctor et patet.

Interius autem perscrutantes (Busse 12.2; Paluello 19.5) Quinta autem descriptio differentie est que dividit ea que sunt sub eodem genere, (**5ra**) et conductit ad esse, et est pars rei. Unde, tertia descriptio non fuit sufficiens ut dicunt philosophi interius perscrutantes. Non enim est quodlibet eorum que dividunt ea que sunt sub eodem genere differentia, sed plus requiritur ad completam rationem differentie quam dividere ea que sunt sub eodem genere, quia requiritur quod conducatur ad esse, id est quod sit pars essentialis rei. Quod autem non quodlibet dividentium ea que sunt sub eodem genere sit differentia probatur, et est conclusio nona huius libri. Probur sic: esse aptum natum ad navigandum dividit animal et distinguit hominem ab omni alia specie contenta sub

animali, quia nullum animal preter hominem est aptum natum ad navigandum, et tamen aptum natum ad navigandum non est differentia hominis, quia non complet diffinitionem hominis, nec est pars hominis, sed est quoddam proprium hominis, et huiusmodi non est differentia specifica, sed differentia specifica est que facit speciem differre essentialiter ab omni alia specie, et predicatur in quale essentiale de ipsa specie. Et hec de differentia dicta sint.

Hic sunt tria videnda: primo an differentie sint res, vel conceptus item (*fortasse pro*: tantum); secundo que differunt per differentias et que non; tertio quomodo ipse differentie distinguuntur ab invicem.

Quantum ad primum dicunt moderni quod differentie non sunt nisi conceptus in anima, quia si essent res extra animam, universalia haberent esse extra animam, quod habent pro inconvenienti; sed quid sit unum de hoc non intendo discutere. Dico tamen quod res extra animam distinguuntur per differentia suas, et non distinguuntur per solos conceptus, quia si nullus conceptus esset, adhuc homo differret ab asino per differentiam suam.

Item conceptus in anima sunt accidentia, sed substantie non distinguuntur ab invicem per sola accidentia, sed distinguuntur ab invicem essentialiter. Siquis velit ponere quod differentie non sunt nisi conceptus, ipse habet ponere quod quelibet res extra anima per seipsam distinguitur a qualibet alia re extra animam et non per aliquam differentiam superadditam; et sic habet ponere quod res extra animam non distinguuntur ab invicem realiter per differentias, sed solum distinguuntur conceptualiter. Ponentes quod nulla universalia sunt res extra animam, alie a rebus singularibus, et quod res extra animam non distinguuntur ab invicem per differentias suas, habent ponere quod differentie non sunt realiter nisi forme rerum. Unde rationalitas hominis est idem realiter quod anima hominis, et hec rationalitas est idem quod hec anima. Et sic potest dici quod res extra animam distinguuntur realiter per formas suas, et distinguuntur conceptualiter per conceptus suarum differentiarum. Sed quia ista questio, scilicet de entitate differentie, non pertinet ad logicum, circa eam non insisto hic.

Circa secundum est sciendum (*marg.*) quod per differentias de quibus hic loquitur distinguuntur species contente sub eodem genere ab invicem, et earum individua; sed genera generalissima non distinguuntur ab invicem per differentias, sed per se ipsa; et propter hoc dicit Philosophus quarto *Metaphysice*²⁶ quod genera generalissima non deberent dici differre, sed dicuntur proprie diversa quia non habent differentia quibus distinguuntur ab invicem. Species autem contente sub uno genere differunt a speciebus contentiis sub alio genere per sua genera; verbi gratia, homo enim distinguitur a qualitate et quantitate per suum genus, scilicet per substantiam. Substantia enim est medium concludens quod nullus homo est quantitas, ut patet. Hic enim est demonstratio negativa ‘nulla

‘substantia est quantitas’, ‘omnis homo est substantia’, ‘ergo nullus homo est quantitas’, et homo per hoc genus corpus distinguitur a substantia incorporea. Et universaliter quelibet species per suum genus distinguitur ab omnibus aliis speciebus que non continentur sub illo genere.

De tertio est sciendum quod differentie distinguuntur seipsis et non per alias differentias, quia tunc differentia haberet differentiam, et procederetur in infinitum, quod est inconveniens.

Sciendum tamen quod differentia significatur duobus modis, scilicet in concreto, ut rationale, et in abstracto, ut rationalitas, et magis differt ista differentia que significatur in abstracto quam illa que significatur in concreto. Unde rationalitas proprie est differentia, et rationale magis proprie dicitur esse differens quam differentia.

²⁶ ARISTOTELES, *Metaphysica X*, 4, 1055a24-28.

<Capitulum quartum: de proprio>

Proprium vero quadrisariam (Busse 12.13; Paluello 19.18) Istud est quartum capitulum primi tractatus, in quo auctor determinat (**5rb**) de proprio. Et continet duas partes. In prima dividit proprium; in secunda ibi ‘hec autem proprie’ comparat membra divisionis adinvicem, accipiendo illud membrum divisionis de quo intendit.

<PRIMA PARS QUARTI CAPITULI>

Dicit ergo primo quod proprium quadrupliciter. Primo modo dicitur proprium quod convenit alicui speciei soli, sed non omni contento sub illa specie; et sic esse medicum vel geometram est proprium homini, eo quod convenit soli speciei humane, et non convenit omni contento sub homine.

Secundo modo dicitur proprium quod convenit omni contento sub aliqua specie, sed non convenit soli illi speciei: et sic esse bipedem dicitur esse proprium hominis.

Tertio modo dicitur proprium illud quod convenit alicui speciei soli, et omni contento sub illa specie, et non semper; et sic canescere in senectute dicitur esse proprium hominis, quia convenit soli homini, et omni homini cum ad senectutem pervenerit, sed non semper convenit omni homini, quia non in iuventute.

Quarto modo dicitur proprium quod convenit omni et soli et semper, et sic risibile dicitur esse proprium hominis, quia convenit omni homini et soli et semper. Quamvis enim non semper homo rideat, tamen semper aptus natus est ad ridendum.

<SECUNDA PARS QUARTI CAPITULI>

Hec autem proprie (Busse 12.20; Paluello 20.5) Hec est secunda pars, in qua comparat membra divisionis adinvicem, et accipit illud membrum divisionis de quo intendit. Et dicit quod illa que conveniunt omni et soli et semper proprie dicuntur esse propria, quia convertuntur cum specie, sicut hinnibile est proprie proprium equo, quia convenit omni equo et soli et semper.

Intelligendum est quod proprium quod hic dividitur non est unum quinque universalium de quibus hic intendit, sed est unum nomen equivocum ad proprium quod est unum de quinque universalibus et ad alia sua significata, scilicet ad proprium primo modo et secundo modo et tertio modo dictum.

Item, sciendum quod proprium quarto modo dictum est propria passio speciei cum qua convertitur, sed proprium primo modo, secundo vel tertio <modo> dictum non dicitur propria passio, sed magis dicitur quedam proprietas accidentalis. Unde proprium primo modo, secundo et tertio <modo> dictum est accidentis per accidens, proprium vero quarto modo dictum est accidentis per se, quia predicator de specie cuius est proprium per se secundo modo dicendi per se. Unde, cum communiter dicitur quod in scientia determinatur de proprietatibus et passionibus subiecti, per proprietates

intelliguntur propria primo modo, secundo modo et tertio modo dicta, per passiones intelligit propria quarto modo dicta (*marg.*).

Intelligendum est quod, quamvis risibile sit proprium hominis quarto modo dictum, tamen ridere est proprium hominis primo modo; et quamvis esse medicum est (*pro:* sit) proprium homini primo modo, tamen posse esse medicum est proprium homini quarto modo.

Intelligendum est quod illud idem quod est proprium quarto modo dictum respectu unius subiecti, potest esse proprium secundo (*pro:* primo) modo et tertio (*pro:* secundo) respectu aliorum subiectorum. Verbi gratia, habere tres angulos equales duobus rectis est proprium triangulo quarto modo, quia competit omni triangulo et soli et semper; et hec eadem passio est propria figure primo modo, quia competit soli et non omni, et est proprium isocheli secundo modo, quia competit omni et non soli. Unde subiectum passionis quoddam est primum, ut illud cui soli et omni contento sub ipso convenit passio, et quoddam est subiectum non primum, et tale est duplex: quoddam excedens passionem, et respectu illius passio est proprium primo modo; et sic figura est subiectum illius passionis que est habere tres angulos et cetera, et quoddam est subiectum non primum excessum a passione; et illud est proprium secundo modo; et sic isocheles est subiectum huius passionis, que est habere et cetera, quia habere tres angulos et cetera est in plus quam isocheles.

Intelligendum est quod quidam dicunt quod omne accidens commune est proprium alicui subiecto, loquendo de proprio quarto modo. Unde dicunt quod quamvis albedo sit accidens commune homini et equo, tamen albedo habet aliquod subiectum proprium cui soli inest et omni contento ab (*pro:* sub) eo et semper. Unde dicunt quod aliqua est commixtio elementorum ex qua semper resultat talis albedo, et subiectum mixtum tali mixtione est proprium subiectum albedinis; et sic (*e.s. marg.*) est ut dicunt de omnibus aliis accidentibus.

Sed istud non <videtur> mihi verum, quoniam si sic esset, ad destructionem cuiuscumque accidentis sequeretur destructio substantie, quod non videtur verum, et est contra Philosophum primo de generatione²⁷ et secundo de anima²⁸. Et probo quod hoc sequitur, quia capio aliquid accidens, et quero de subiecto isto cuius est proprium an illud subiectum sit substantia vel accidens. Si sit substantia, haberetur propositum, quia tunc ad destructionem illius accidentis sequitur destructio illius substantie; si vero subiectum suum sit accidens, oportet quod habeat (**5va**) aliquid subiectum cuius est proprium. Et quero de illo an sit substantia an accidens. Si sit substantia haberet propositum, scilicet quod ad destructionem accidentis, de quo primo loquebatur, sequitur destructio substantie. Si vero illud subiectum sit accidens, querendum est de suo subiecto aut sit substantia vel (*s.v. marg.*) accidens, et sic in infinitum procederetur. Hoc potest argui in terminis sic: sit *a* unum

²⁷ ARISTOTELES, *De generatione et corruptione* I, 4, 319b8-14; 321a22-26.

accidens; probo quod ad destrucionem illius, quodcumque accidens sit *a*, sequitur destructio substantiae secundum scilicet illam opinionem. Nam *a*, ex quo est accidens, habet aliquod proprium <subiectum in quo est>, et cum quo convertitur. Sit illud *b*; quero tunc: aut *b* sit substantia, vel accidens. Si sit substantia, habetur propositum, scilicet quod ad destructionem ipsius *a* sequitur destructio substantie, quia destructo *a*, destruitur *b*; si vero *b* sit accidens, habet subiectum proprium. Et sit illud *c*; quero: aut *c* est substantia etiam (*pro aut*) accidens; si substantia, habetur propositum, scilicet quod ad destructionem illius *a* sequitur destructio substantie, quia destructo *a* destruitur *b*, et destructo *b* destruitur *c*; ergo, destructo *a* destruitur *c*, et per consequens, destructo *a*, destruitur substantia. Si dicitur quod *c* est accidens, tunc habet subiectum proprium, et sit illud *d*: et quero aut *d* est substantia, etiam (*pro aut*) accidens. Si substantia, habetur propositum, scilicet quod destructo *a* destruitur substantia, quia destructo *a* destruitur *b*, et destructo *b*, destruitur *c*, et destructo *c*, destruitur *d*; ergo a primo destructo *a* destruitur substantia. Si dicitur quod *d* est accidens, tunc habet subiectum proprium: et sit illud *e*; et querendum est de *e* sicut prius, et sic procedetur in infinitum vel tandem devenietur ad substantia que necessario destruitur ad destructionem illius *a*. Et sicut arguitur de *a*, sic (*marg.*) potest argui de quocumque alio accidente. Et ita, si dicta positio esset vera, ad destructionem cuiuslibet accidentis sequeretur destructio substantie, quod est impossibile. Ideo dico quod non quodlibet accidens est proprium alicuius subiectum quarto modo accipiendo proprium.

Et si dicitur quod Commentator dicit septimo *Metaphysice*²⁸ quod omne accidens est alicui proprium, <dicendum quod omne accidens est alicui proprium> primo modo vel quarto modo accipiendo proprium. Omne enim accidens per se, quod necessario egreditur ex principiis subiecti, est proprium alicui subiecto quarto modo accipiendo proprium; quodlibet etiam accidens per accidens est proprium alicui subiecto primo modo accipiendo proprium; nam omnis accidens per accidens competit alicui subiecto soli, sed non omni contento sub illo. Verbi gratia, albedo convenit soli corpori sed non convenit omni, etiam currere convenit soli animali sed non omni, et sic de omni alio accidente per accidens.

Sciendum etiam quod proprium, quarto modo sumendo proprium, non solum dicitur de proprio speciei specialissime, sed etiam dicitur de proprio generis: genus, enim, habet proprias passiones sicut et species. Similiter est de proprio <primo modo>, secundo et tertio <modo> dicto, scilicet quod huiusmodi propria non solum dicuntur de proprio speciei, sed etiam de proprio generis, et cetera.

²⁸ AVERROES, *Commentarium Magnum in Aristotelis de anima libros*, Cambridge (Ma.) 1953, II,4, pp. 133,33 – 134,39.

²⁹ AVERROES, *In Metaph. VII*, in *Aristotelis Metaphysicorum libros XIV Commentarium*, vol. VIII, Venetiis 1562, 17, f. 166H-M.

<Capitulum quintum: de accidente>

Accidens est (Busse 12.25; Paluello 20.7) Istud est quintum capitulum primi tractatus in quo determinatur de accidente. Et continet quattuor partes. In prima ponit unam descriptionem accidentis. In secunda ibi ‘dividitur autem’ ponit divisionem accidentis. In tertia ibi ‘diffiniunt autem’ ponit alias descriptiones accidentis, secundum opinionem aliorum. In quarta ibi ‘omnibus autem determinatis’ epilogat quantum ad determinata de predictis quinque universalibus.

<PRIMA PARS QUINTI CAPITULI>

In prima ergo parte describendo accidens dicit quod accidens est quod adest et abest preter subiecti corruptionem.

Circa istam descriptionem est intelligendum quod accidens uno modo distinguitur contra substantiam, et alio modo distinguitur contra proprium. Secundum quod accidens distinguitur contra substantiam, sic accidens est commune ad proprium <et accidens>, et sic accidens et proprium non sunt universalia distincta. Sed secundum quod accidens distinguitur contra proprium, sic accidens solum est commune ad accidentia que non egrediuntur ex propriis principiis subiecti, cuiusmodi sunt accidentia per accidens. Unde ens reale dividitur in substantiam et accidens; et accidens in accidens per se et in accidens per accidens. Accidens hic diffinitum non est accidens divisum contra substantia, sed est unum membrum subdivisionis accidentis divisi contra substantiam, quia auctor non determinat in hoc capitulo nisi de accidente per accidens. Unde accipiendo accidens prout distinguitur contra substantiam, sic secundum quod potest elici ex dictis Philosophi et Commentatoris septimo *Metaphysice*³⁰, distinguitur accidens in tria membra, quoniam quoddam est accidens commune quod nec determinat sibi substantiam nec e contra, et sic albedo est accidens hominis; et quoddam est accidens proprium quod determinat sibi subiectum et e contra, et sic risibile est accidens hominis; et quoddam est accidens copulatum, quod scilicet determinat sibi (**5vb**) subiectum et non e contra, et sic se habet simitas respectu nasi et non e contra.

Contra istam descriptionem arguitur sic: descriptio debet competere omni contento sub descripto, sed hec descriptio non competit omni accidenti per accidens, quia aliquod est accidens (quia....accidens *marg.*) inseparabile, et illud non potest abesse et adesse et cetera, ergo hec descriptio non est bona. Item mors et corruptio substantie est accidens substantie, et non adest vel abest preter corruptionem subiecti, ergo descriptio et cetera.

³⁰ ARISTOTELES, *Metaphysica* VII, 1, 1028a14-20; AVERROES, *In Metaph.* VII, 2-3, ff. 153F-154F.

Item hec descriptio competit alii<s> ab accidente, ergo non est bona. Probo antecedens: nam hec descriptio competit forme substantiali que tamen non est accidens. Nam forma substantialis adest materie et abest ab ea preter corruptionem subiecti, scilicet materie prime; ergo et cetera.

Circa istam descriptionem est sciendum quod in hac descriptione ista determinatio, scilicet preter subiecti corruptionem, determinat hoc verbum abest et non determinat hoc verbum adest. Unde sensus non est iste ‘accidens est quod adest preter subiecti corruptionem et abest preter subiecti corruptionem’, quia corruptio substantie composite et alteratio terminata ad non esse substantie composite est accidens et non potest adesse subiecto preter subiecti corruptionem quia est corruptio sui subiecti. Sed sensus descriptionis est iste: accidens est quod adest enti in actu et abest, id est potest abesse a subiecto preter corruptionem illius subiecti, et hoc manente suo subiecto, hoc est subiectum accidentis potest manere absente accidente ab eo, vel non existente accidente in eo.

Pro primo argumento est sciendum quod hec descriptio competit omni speciei accidentis per accidens sed non competit omni individuo accidentis per accidens, quoniam hec simitas huius nasi non potest abesse huic naso preter corruptionem huius nasi; simitas tamen potest abesse alicui subiecto eiusdem speciei cum subiecto cui inest absque corruptionem illius subiecti, quia potest abesse alteri naso, ut naso aquilino, preter corruptionem et ceterat. Unde omne accidens per accidens secundum speciem potest adesse alicui subiecto secundum speciem et abesse illi subiecto preter corruptionem illius subiecti.

Ad primum argumentum, cum dicitur quod aliquod est accidens inseparabile secundum speciem et cetera, dicendum quod omne accidens inseparabile secundum speciem potest adesse alicui subiecto et abesse eidem subiecto secundum speciem preter corruptionem illius subiecti; non tamen potest adesse omni subiecto cui natum est inesse et abesse illi preter corruptionem sibi. Unde idem quod est accidens inseparabile respectu unius subiecti est accidens separabile respectu alterius subiecti. Verbi gratia licet enim nigredo sit accidens inseparabile respectu corvi, est tamen separabile respectu hominis. Dico ergo quod accidens inseparabile, manens idem secundum speciem, potest adesse et abesse alicui subiecto preter corruptionem illius subiecti in quo est. Et ista descriptio accidentis competit omni accidenti inseparabili.

Ad formam cum dicitur hec descriptio non competit omni accidenti, dicendum quod hec descriptio competit omni accidenti per accidens secundum speciem modo quo dictum est.

Ad secundum argumentum cum dicitur quod corruptio substantie est accidens substantie et non adest et cetera, dicendum quod hec descriptio competit corruptioni substantie quia corruptio substantie adest substantie et potest abesse a substantia preter corruptionem substantie, hoc est potest non inesse manente substantia.

Ad tertium cum dicitur quod hec descriptio competit forme substantiali, dicendum quod non, quia forma substantialis non advenit enti in actu, sed solum advenit enti in potentia, scilicet materie prime. Unde descripto sic intelligitur: accidens est quod adest enti in actu, scilicet forme vel composito ex materia et forma et abesse potest preter corruptionem illius; et huiusmodi non est forma substantialis.

<SECUNDA PARS QUINTI CAPITULI>

Dividitur autem (Busse 12.26; Paluello 20.8) Hec est secunda pars huius capituli, in qua auctor dividit accidens. Et primo ponit divisionem, et secundo removet dubitationem. Dividitur autem accidens quoniam quoddam est accidens separabile, quoddam inseparabile. Accidens separabile, ut dormire, vigilare, accidens inseparabile, ut nigredo, que est inseparabilis a corvo vel ab ethiope.

Potest autem subintelligi (Busse 13.1; Paluello 20.10) Removet dubium quod est istud: ista divisio accidentis videtur repugnare descriptioni accidenti superius posite, que est quod accidens est quod adest et abest preter subjecti corruptionem. Omne ergo accidens est separabile, et per consequens nullum est accidens inseparabile: et sic divisio secunda nulla est. Istud dubium removet auctor, dicens quod quamvis corvus sit niger, potest tamen intelligi (**6ra**) albus, et ethyops nitens colore, preter corruptionem corvi aut ethyopis.

Intelligendum est quod ex hoc quod corvus est niger non repugnat sibi quod possit esse albus, quia, quamvis unum contrariorum repugnet alteri, tamen unum contrariorum non repugnat potentia ad reliquum. Est ergo intellectus auctoris iste quod predicta divisio accidentis non repugnat descriptioni accidentis prius posite. Nam accidenti inseparabili competit predicta descriptio accidentis, quia, quamvis aliquod accidens sit inseparabile respectu alicuius subjecti, est tamen separabile respectu alterius subjecti, ita quod manente illo subjecto potest contrarium illius accidentis inesse tali subjecto respectu cuius illud accidens est separabile. Omne ergo accidens secundum speciem est separabile respectu alicuius subjecti eiusdem speciei cum subjecto cui inest vel alterius speciei. Exemplum primi ut simitas in naso, quamvis sit inseparabile ab aliquo naso, ut a naso simo, est tamen separabile ab alio naso, ut a naso aquilino. Exemplum secundi: nigredo est inseparabilis a corvo et a quolibet individuo speciei corvi, et tamen est accidens separabile respectu alterius, ut respectu speciei hominis. Omne ergo accidens, tam separabile quam inseparabile, adest alicui subjecto, et abest alteri subjecto eiusdem speciei vel alterius preter corruptionem illius.

Aliter potest exponi illud dictum auctoris ‘potest autem subintelligi’ quod autem ibi auctor removet talem dubium: ut enim dictum est quod aliquod est accidens inseparabile, posset aliquis credere quod accidens inseparabile esset de essentia subjecti, ex quo non potest ab ipso separari. Istud removet auctor, dicens: quamvis tale accidens sit inseparabile a subjecto separatione reali, tamen est

separabile ab eodem subiecto separatione intellectuali, quia suum subiectum potest intelligi sub opposito illius accidentis, ut corvus potest intelligi sub opposito nigredinis, ut sub albedine. Et non potest intelligi sub opposito illius quod est de essentia sua: et ideo accidens inseparabile non est de essentia sui subiecti, cum subiectum suum possit intelligi sub opposito illius accidentis.

Et si dicatur contra hoc sic: si corvus potest intelligi albus, aut ergo in intellectu vero, aut *<in>* intellectu falso; si enim in intellectu vero, tunc potest hec esse vera ‘corvus est albus’, si *<in>* intellectu falso, tunc eodem modo proprium esset accidens inseparabile, quia subiectum potest intelligi in intellectu falso sub opposito sui proprii: nam hec ‘homo est non risibilis’ intelligitur *<in>* intellectu falso.

Dicendum quod illud est accidens inseparabile quod non ex hoc quod inest subiecto repugnat eidem subiecto secundum speciem esse sub opposito illius accidentis: ex hoc enim quod iste nasus est simus non repugnat naso oppositum similitatis, et non ex hoc quod corvus est niger repugnat sibi quod posse esse album. Sed non est sic de proprio, quia ex hoc quod proprium quarto modo dictum inest alicui subiecto, repugnat illi subiecto et cuilibet eiusdem speciei esse sub opposito illius proprii: ex hoc, enim, quod aliquis homo est risibilis, repugnat omni homini esse non risibilem. Et hec est differentia inter proprium est accidens inseparabile. Si ergo queratur an corvus potest intelligi esse albus in intellectu vero aut falso, dicendum quod, secundum intellectum quem habuit auctor, potest intelligi in intellectu vero; et est intellectus iste: corvo ex hoc quod est niger non repugnat sibi intelligi quod possit esse albus. Et intellectus iste est verus.

<TERTIA PARS QUINTI CAPITULI>

Diffiniunt autem (Busse 13.3; Paluello 20.12) Hec est tertia pars huius capituli, in qua auctor ponit alias descriptiones accidentis secundum opinionem aliorum. Et ponit duas descriptiones: prima est quod accidens est quod contingit eidem subiecto inesse vel non inesse; et sic potest intelligi quod accidens est illud quod secundum speciem potest alicui subiecto inesse et non inesse, sicut nigredo, manens una secundum speciem, potest inesse corvo et non inesse corvo, quia potest inesse alteri, ut bovi vel homini. Non tamen oportet quod omne accidens idem secundum numerum possit alicui subiecto inesse, et eidem secundum numerum non inesse. Alia est descriptio accidentis quod accidens est etiam *<quod>* neque est genus, neque species, neque differentia, neque proprium, semper tamen est in subiecto.

<QUARTA PARS QUINTI CAPITULI>

Omnibus igitur determinatis (Busse 13.7; Paluello 20.16) Hec est quarta pars huius capituli, in qua epilogat continuando precedentia ad sequentia, ut patet.

<Tractatus secundus>

(6rb) **Commune est quidem omnibus** (Busse 13.10; Paluello 21.2) Tractatus iste est secundus huius libri, *<in>* quo auctor comparat ista quinque universalia adinvicem secundum proprietates communes eis et propria comparat. Et continet quattuor (*pro: quinque*) capitula. In primo capitulo determinat de eis secundum unam proprietatem omnibus communem; in secundo ibi ‘Commune est generi et differentie’ comparat genus ad quattuor universalia residua; in tertio ibi ‘Commune est differentie’ comparat differentiam ad residua; in quarto ibi (in tertio ...in quarto ibi *marg.*) *<‘species autem’ comparat speciem ad duo residua; in quinto ibi>* ‘restat modo de proprio’ comparat proprium et accidens adinvicem.

<Capitulum primum: de proprietate communi quinque universalibus >

In primo ergo capitulo narrat auctor unam proprietatem communem cuilibet quinque universalium, et est predicari de pluribus: quodlibet enim universale predicitur, vel est aptum natum est predicari de pluribus, non tamen predicantur omnia universalia de eodem, sed tam genus quam differentia predicantur de speciebus et individuis sub eis contentis, species autem specialissima solum predicitur de individuis, loquendo de predicatione proprie dicta et directa in qua solum predicantur superiora de inferioribus, vel equa de equis; loquendo tamen de predicatione indirecta, species predicitur de genere et de omnibus superioribus ad ipsam, ut patet per conversionem universalis et particularis affermative; proprium vero, scilicet speciei specialissime, predicitur de specie cuius est proprium, et de individuis contentis sub illa specie cuius est proprium; accidens autem predicitur de speciebus et de individuis, quod est verum de accidente per accidens, sive de accidente communi, ut moveri predicitur de homine et equo, sed accidens copulatum, quod scilicet determinat sibi certam speciem, ut simitas, que determinat sibi nasum, et medicina, que determinat sibi hominem, solum predicitur de una specie et de contentis sub ea, non tamen de omnibus contentis sub ea, sed de aliquibus; accidentia vero per accidens predicantur de speciebus et de individuis.

Et addit auctor dicens quod huismodi accidentia per accidens predicantur principaliter de individuis, et secundario de his que continent individua, scilicet de speciebus, supple: e converso est de accidentibus essentialibus, et de quibuscumque predicatis essentialibus, quoniam ista primo et principaliter predicantur de speciebus, et secundario de individuis.

Pro isto dicto auctoris est intelligendum quod principalitas seu primitas est duplex quantum ad propositum, scilicet primitas causalitatis et primitas adequationis. Loquendo de primitate causalitatis, sic accidentia per accidens primo insunt individuis, et secundario speciebus et generibus: nam, quia huismodi accidentia insunt individuis, ideo insunt generibus et speciebus.

Nam, quia Sortes est albus, ideo homo est albus, et animal est album, et non e converso; non enim quia homo est albus, ideo Sortes est albus, sed e converso de accidentibus essentialibus e converso est, scilicet de proprio quarto modo dicto: nam, quia talia accidentia insunt speciebus tamquam earum propria, ideo insunt secundario omnibus individuis illarum specierum. Loquendo vero de primitate adequationis, sic accidentia per accidens non insunt primo individuis: nam huiusmodi accidentia non habent subiecta adequata, ut probatum est in capitulo de proprio; sed accidentia essentialia, ut proprie passiones insunt prius speciebus quarum sunt passiones primitate adequationis, quia adequantur suis subiectis; insunt etiam eis primo primitate causalitatis, ut dictum est: nam, risibile inest primo homini tamquam propria eius passio, ideo risibile inest secundario Sorti et Platoni.

Sed contra hoc potest argui sic: propria passio non inest alicui speciei pro ipsa specie precise, sed pro individuis; ista enim ‘homo est risibilis’ non est vera, nisi sumendo hominem personaliter pro suis suppositis; ergo videtur quod propria passio primo inest individuis.

Dicendum quod propria passio inest speciei cuius est propria passio, et inest ei primo supponito pro individuis, non tamen inest primo individuis: unde hec est vera ‘de homine primo predicatur esse risibile’, secundum quod ly homo supponit simpliciter, non secundum quod supponit personaliter; similiter hec est vera ‘de homine sumpto pro suppositis prius predicatur risibile’ sumpto termino homine secundum quod habet suppositionem simplicem; tamen in actu exercito ubi exercetur predicationis risibilis de homine, iste terminus homo habet suppositionem personalem; ista enim propositio ‘homo est risibilis’ est vera secundum quod subiectum solum habet personalem suppositionem, et communiter termini habent diversas suppositiones in actu exercito et in actu significato.

Ad propositum dico quod risibile primo predicatur de homine sumpto pro suppositis, et tamen prius non predicatur de suppositis; aliud enim est de quo predicatur primo, et aliud est pro quo predicatur primo natura; predicatur primo passio de communi, scilicet de specie; et id pro quo specie predicatorum primo passio est individuum, nec tamen propter hoc predicatorum primo de individuo.

Adhuc dicitur contra hoc: cum dicitur quod accidentia per accidens primo insunt individuis, quia ‘primo’ dicitur per superabundantiam, et quod dicitur per superabundantiam (et quod...suprabundantiam *marg.*) uni soli convenit, ergo huiusmodi accidentia non possunt predicari de pluribus individuis, respondeo et dico quod, cum dicitur quod accidentia per (**6va**) accidens primo predicatorum de individuis, ibi accipitur superlativum pro comparativo, et est sensus: accidentia per accidens per prius predicatorum de individuis quam de speciebus vel generibus, et hoc loquendo de prioritate causalitatis.

Et si queratur in quo genere cause individua sunt <per> prius cause huiusmodi accidentium quam species vel genera, dicendum quod in genere cause materialis. Nam individua sunt per prius subiecta huiusmodi accidentium per accidens quam species vel genera (v.g. *marg.*).

<Secundum capitulum: comparatio generis ad quattuor residua universalia>

Commune autem est generi et differentie (Busse 13.22; Paluello 21.20) Istud est secundum capitulum tractatus secundi, in quo auctor comparat genus ad quattuor residua universalia. Et continet quinque partes. In prima comparat genus et differentiam adinvicem secundum convenientias et differentias; in secunda ibi ‘Genus et species’ comparat genus ad speciem secundum convenientias et differentias; in tertia ibi ‘Genus autem et proprium’ comparat genus et proprium adinvicem secundum convenientias et differentias; in quarta atque ibi ‘Generis vero et accidentis’ comparat genus et accidens adinvicem secundum convenientias et differentias; in quinta parte ibi ‘Genus vero quomodo ab aliis quattuor’ removet obiectionem tacitam.

<PRIMA PARS SECUNDI CAPITULI>

Prima pars continet duas particulas: in prima ponit auctor proprietates communes generi et differentie; in secunda ibi ‘Proprium autem est generi’ ponit proprietates quibus genus et differentia differunt ab invicem.

In prima ergo particula ponit tres proprietates communes generi et differentie, in quibus genus et differentia convenientia: prima est specierum continentia, quia tam genus quam differentia continent plures species, quamvis differentia non contineat tot species quot continent genus; et ponit exempla que patent.

Et quecumque praedicantur (Busse 14.3; Paluello 22.3) Secunda convenientia est in predicatione, et est hec: sicut quecumque predicanter de genere ut genus est, hoc est essentialiter predicanter de speciebus contentis sub genere, ita quecumque predicanter de differentia ut differentia est, hoc est essentialiter eadem predicanter de speciebus contentis sub differentia, ut si uti ratione predicatorum de rationabili que est differentia hominis et angeli predicatione essentiali, uti ratione predicabitur de speciebus contentis (sub differentia...contentis *marg.*) sub rationali; et accipio uti ratione pro posse uti ratione.

Commune autem (Busse 14.10; Paluello 22.12) Tertia proprietas in qua genus et differentia convenientia est ista: quod perempto genere perimuntur species que sunt sub illo genere, ita perempta differentia perimuntur species contente sub illa differentia. Nam semper ad destructionem superioris sequitur destructio omnium inferiorum. Genus ergo et differentia convenientia in tribus, scilicet in continentia, in predicatione et in destructione.

Proprium autem generi (Busse 14.1; Paluello 22.17) Hec est secunda particula prime partis, in qua ponuntur proprietates quibus differunt genus et differentia ab invicem; et sunt sex proprietates quibus differunt, sive sex differentie: prima est in predicatione; secunda est in continentia; tertia est in ordine; quarta est in modo predicandi; quinta est in numero; sexta est in proportione. Prima ergo

differentia vel proprietas est quod genus predicator de pluribus quam differentia; quod habet intelligi de differentia divisiva generis, non autem de differentia constitutiva generis; verbi gratia, rationale et irrationale sunt differentie divisive animalis, et animal predicator de pluribus quam rationale, et etiam predicator de pluribus quam irrationale; sed differentia constitutiva animalis predicator de pluribus quam animal: nam corporeum et etiam animatum predicanter de pluribus quam animal. Et addit auctor quod non solum predicator genus de pluribus quam differentia, sed etiam predicator de pluribus quam species, et etiam de pluribus quam accidens.

Amplius genus continet (Busse 14.21; Paluello 23.2) Secunda proprietas generis, qua differt a differentia, est quod genus continet differentias divisivas potestate, sed differentia, scilicet divisiva generis, non continet differentias divisivas potestate: rationale enim non continet rationale et irrationale potestate.

Amplius genera (Busse 14.22; Paluello 23.3) Tertia proprietas qua genus differt a differentia est quod genera sunt priora differentiis sub se positis; et ideo, ablato genere, auferuntur omnes differentie posite sub illo genere, sed ablatis omnibus differentiis divisivis generis, non propter hoc aufertur genus; quod intelligendum est divisim: ablata enim una differentia divisiva generis, non propter hoc aufertur genus, sed ablatis omnibus differentiis divisivis generis, simul vel coniunctim, tunc necessario aufertur genus.

Amplius quidem genus (Busse 15.3; Paluello 23.10) Quarta proprietas qua genus distinguitur a differentia est in modo predicandi. Nam genus predicator in quid, et propter hoc distinguitur a differentia, que predicator in quale.

Amplius genus unum (Busse 15.4; Paluello 23.12) **(6vb)** Quinta proprietas qua genus distinguitur a differentia est quod unum est genus secundum speciem, hoc est una species habet tantum unum genus, scilicet proximum, sed una species habet plures differentias constitutivas ipsius, verbi gratia homo habet unum genus proximum, scilicet animal, et habet plures differentias constitutivas, scilicet rationale, mortale et perceptibile discipline.

Et genus quidem (Busse 15.7; Paluello 23.15) Sexta proprietas qua genus distinguitur a differentia est quod genus est consimilis materie, et differentia est consimilis forme. Nam genus est in potentia ad differentiam, et est determinabile per differentiam, sed determinabile se habet per modum materie, et determinans habet se per (s.p. *interl.*) modum forme.

<SECUNDA PARS SECUNDI CAPITULI>

Genus quidem et species (Busse 15.10; Paluello 23.18) Hec est secunda pars principalis huius capituli, in qua auctor comparat genus et speciem adinvicem secundum convenientias et differentias. Et continet duas particulas: in prima comparat genus et speciem adinvicem secundum

convenientias; in secunda ibi ‘Differunt autem’ comparat genus et speciem adinvicem secundum differentias quibus differunt.

In prima particula ponit auctor tres proprietates in quibus genus et species conveniunt, quarum prima est de pluribus predicari: nam tam genus quam species predicanter de pluribus. Et subdit auctor dicens quod non solum de specie loquitur que est tam genus quam species, sed etiam loquitur de specie que est ita species quod non est genus; cuiusmodi est species specialissima que predicanter de pluribus aptitudine, licet non semper in actu.

Commune autem hiis est (Busse 15.13; Paluello 23.21) Secunda proprietas omnis generi et speciei est esse prius hiis de quibus predicanter. Nam omne genus est prius quolibet suo inferiori in consequendo, non tamen in essendo. Prius in consequendo est a quo non convertitur subsistendi consequentia.

Et totum (Busse 15.14; Paluello 23.23) Tertia proprietas communis generi et speciei est esse totum ad illa de quibus predicanter: omne enim per se superius est quasi totum universale respectu sui per se inferioris, et per se inferius est pars subiectiva respectu sui per se superioris.

Differunt autem (Busse 15.15; Paluello 23.24) Hec est secunda particula secunde partis huius capituli, in qua auctor ponit proprietates (*marg.*) quibus genus differt a specie. Prima est quod genus continet speciem, et species non continet genus. Et hec est decima conclusio huius libri. Probatur sic: illud quod est in aliquo et etiam in pluribus quam est aliud, continet aliud, et non e converso; sed genus est in specie et est in pluribus quam est species, quia genus est in pluribus speciebus et in individuis istarum specierum, sed species non est nisi in individuis contentis sub illa specie; ergo genus continet speciem, et species non continet genus.

Intelligendum quod continentia quantum spectat ad propositum est duplex, potentialis et actualis; genus continet species continentia potentiali, quia genus non ponit nec infert aliquam speciem in actu, sed sub divisione, et ita in potentia, sed species continet genus continentia actuali, quia species actu infert genus, et non e converso. Quia ergo auctor dicit genus continet speciem, et species non continet genus, intelligendum est de continentia potentiali, sed loquendo de continentia actuali sic species continet genus et non e converso.

Et genera preiacere (Busse 15.18; Paluello 24.2) Addit auctor dicens quod oportet genera preiacere speciebus, sed ipsa genera informata differentiis constituunt species, hoc est genera preiacent in diffinitionibus specierum, quia sunt prime partes specierum et diffinitionum, et additis differentiis constituunt diffinitiones specierum.

Unde priora sunt (Busse 15.18; Paluello 23.3) Secunda proprietas qua genus differt a specie est quod genera sunt priora naturaliter quam species, et hoc est quia genus sequitur ad speciem, et non e

contra. Et ideo genus est prius naturaliter quam species secundum quod prius dicitur illud a quo non convertitur subsistendi consequentia.

Et simul interimentia (Busse 15.19; Paluello 23.4) Tertia proprietas qua genus differt a specie est quod interempto genere interimitur etiam species, sed intermpta specie non propter hoc interimitur genus.

Et species quidem cum sit (Busse 15.20; Paluello 24.5) Quarta proprietas qua genus differt a species est quod posita specie ponitur genus, et non e converso, hoc est, si est species, est genus, ut si est homo est, est animal, sed non e converso: hoc est, si est species, est genus, ut si est homo, est animal, sed non e converso, quia non sequitur animal est, ergo homo est.

Genera quidem (Busse 15.21; Paluello 24.6) Quinta proprietas qua genus differt a specie est quod genus predicatur univoce de specie, sed non e converso, hoc est, genus predicatur directe in quid de specie, sed species non predicatur de genere nisi indirecte, et per accidens. Similiter, genus predicatur de specie sumpta universaliter, sed species non predicatur de genere universaliter sumpto.

Amplius genera quidem (Busse 15.22; Paluello 24.2) Sexta proprietas qua genus differt a species est quod genus abundat supra speciem in continentia specierum, quia omne genus continet plures species. Et licet genus habundet supra speciem in continentia specierum, tamen species abundat a genere in continentia differentie, quia species actu continet (**7ra**) differentiam divisivam generis, et genus non continet actu differentiam divisivam sui.

Amplius neque species (Busse 15.25; Paluello 24.10) Septima proprietas qua genus differt a specie est quod nulla species est genus generalissimum, et similiter, nullum genus generalissimum est species. Unde per hoc quod esse genus generalissimum competit alicui generi, et non potest competere alicui speciei, differt genus a specie.

<TERTIA PARS SECUNDI CAPITULI>

Genus autem et proprium (Busse 16.1; Paluello 24.12) Hec est tertia pars principalis huius capituli, in qua auctor comparat genus et proprium adinvicem secundum convenientias et differentias. Et continet duas particulas: in prima comparat genus et proprium adinvicem secundum convenientias (s.c. *marg.*); in secunda ibi ‘Differunt autem genus et proprium’ comparat genus et proprium adinvicem secundum differentias.

In prima ergo particula ponit auctor tres proprietates in quibus genus et proprium convenientiunt. Prima est sequi ad speciem; in hoc enim convenientiunt genus et proprium, quod utrumque sequitur ad speciem: sicut enim sequitur ‘si homo est, animal est’, ita sequitur ‘si homo est, risibile est’. Secunda proprietas est quod genus et proprium equaliter predicanter de illis <de> quibus

predicantur: animal, enim, equaliter predicator de omnibus suis speciebus, et non secundum prius et posterius; et risibile etiam predicator equaliter de omnibus hominibus. Tertia proprietas in qua conveniunt est univoce predicator de illis de quibus predicator. Hec enim proprietas est communis generi et proprio.

Intelligendum quod aliquid predicator de aliquo univoce potest esse duplicit, vel communiter vel proprie. Loquendo communiter de predicatione univoca, sic omne illud predicator univoce quod predicator secundum nomen et secundum descriptionem, qualemcumque descriptionem (q.d. *marg.*) habeat; predicatione univoca est superior quam predicatione denominativa, quia omne quod predicator denominative de aliquo predicator univoce de eodem loquendo communiter de predicatione univoca; et sic loquitur auctor hic. Sed predicatione univoca proprie dicta est quando aliquid predicator de aliquo secundum nomen, secundum unam diffinitionem illius nominis. Et sicut distinguitur predicatione univoca a predicatione denominativa: nam illud quod predicator denominative non habet univocam diffinitionem.

Differunt autem genus et proprium (Busse 16.8; Paluello 24.19) Hec est secunda particula huius secunde partis, in qua auctor ponit quinque proprietates quibus genus et proprium differunt ab invicem. Prima est quod genus est prius quam proprium: oportet enim genus primo esse, deinde oportet genus dividi propriis differentiis. Unde genus est prius proprio, quia sequitur ad proprium, ut homo est, ergo animal est, et non e converso.

Et genus quidem (Busse 16.10; Paluello 24.21) Secunda proprietas est quod genus predicator de pluribus speciebus, et proprium predicator de una sola cuius est proprium.

Et proprium conversim (Busse 16.12; Paluello 24.23) Tertia proprietas per quam genus et proprium differunt, est quod proprium dicitur de eo cuius est proprium conversim, sed genus de nullo predicator conversim. Non enim predicator genus conversim de aliqua sua specie, neque predicator conversim de proprio alicuius sue speciei.

Intelligendum est quod predicator conversim intelligit auctor esse convertibile, unde hec est proprietas qua proprium differt a genere, quod proprium est convertibile cum specie cuius est proprium, sed genus non est convertibile cum aliqua sui specie, nec cum proprio aliquo sue specie.

Amplius proprium (Busse 16.15; Paluello 25.2) Quarta proprietas vel differentia est quod proprium inest soli speciei cuius est proprium et omni contento sub illa specie, sed genus non inest uni soli speciei, sed pluribus.

Amplius species (Busse 16.17; Paluello 25.4) Quinta proprietas vel differentia est quod specie interempta, non interimitur genus, sed specie interempta interimitur proprium speciei.

<QUARTA PARS SECUNDI CAPITULI>

Generis vero et accidentis (Busse 16.20; Paluello 25.8) Hec est quarta pars principalis huius capituli, in qua auctor comparat genus et accidens adinvicem secundum convenientias et differentias. Et continet duas particulas: in prima ponit unam proprietatem in qua genus et accidens conveniunt; in secunda ibi ‘Differt autem genus’ ponit proprietates quibus genus differt ab accidente.

In prima ergo particula ponit unam proprietatem communem generi et accidenti, et est predicari de pluribus speciebus; unde in hac proprietate que est predicari de pluribus speciebus convenient genus et accidens, sive sit accidens separabile, sive sit inseparabile.

Differt autem genus (Busse 17.2; Paluello 25.13) Hec est secunda particula huius partis, in qua auctor ponit quattuor proprietates quibus genus differt ab accidente. Prima est quod genus est prius suis speciebus, sed accidentia sunt posteriora speciebus quibus accidentunt, quoniam prius est illud cui accedit accidens quam ipsum accidens.

Et genera quidem (Busse 17.6; Paluello 25.17) Secunda proprietas est quod genera equaliter participantur ab eis quorum sunt genera, sed accidentia non participantur equaliter ab illis quibus accidentunt, sed secundum magis et minus. Namque accidentia suscipiunt intensionem et remissionem; genera vero non. Et hoc respectu istorum quorum sunt genera.

Et accidentia quidem (Busse 17.8; Paluello 25.19) Tertia proprietas in qua genus et accidens distinguuntur est quod accidentia principaliter subsistunt *<in>* individuis (7rb) substantie tamquam posteriora ipsis individuis, sed *<species et>* genera non subsistunt *<in>* individuis tamquam posteriora ipsis. Immo genera et species sunt priora ipsis individuis.

Genera quidem (*marg.*; Busse 17.10; Paluello 25.21) Quarta (*marg.*) proprietas qua genus differt ab accidente est quod genus predicitur in quid de illis quorum est genus, sed accidentia non predicanter in quid de illis quorum sunt accidentia, sed accidentia predicanter in quale de illis quorum sunt. Intelligendum est quod in accidentibus sunt genera et species, sicut in predicamento qualitatis sunt color et albedo, que sunt (*pro: est*) species coloris; et sicut in substantia genus predicitur in quid de eo cuius est genus, ita in accidentibus genus predicitur in quid de eo cuius est genus. Nam, color predicitur in quid de albedine. Tamen accidentia in *<concreto>* predicanter in quale de illis quibus accidentunt: color enim in concreto predicitur in quale de Sorte et albedo similiter.

<QUINTA PARS SECUNDI CAPITULI>

Genus vero quomodo ab aliis (Busse 17.14; Paluello 16.5) Hec est quinta pars principalis huius capituli, in qua auctor removet quandam obiectionem seu dubitationem circa determinata, quoniam in comparando genus ad alia universalia, comparat genus ad quatuor, scilicet ad differentiam, speciem, proprium et accidens. Ergo videtur eadem ratione quod, comparando residua quattuor ad alia universalia, deberet comparare quodlibet illorum quattuor ad reliqua, et ita essent faciende viginti comparationes, quia quodlibet quinque universalium haberet quattuor comparationes et quinque quattuor viginti sunt combinationes vel comparationes <et sic haberet auctor tot combinationes et comparationes> facere, quod non est verum.

Istud removet auctor, intendens dicere quod in comparando residua quatuor universalia non oportet comparari nisi ad universalia posteriora, quia in comparando priora universalia ad posteriora comparantur posteriora ad priora; verbi gratia, comparando genus ad differentiam, simul comparatur differentia ad genus, et sic de aliis; et ideo postquam auctor comparavit genus ad alia quatuor, posterius in comparando quocumque aliorum universalium, non oportet comparare aliquod istorum ad genus, quia ista comparatio prius est facta cum comparavit genus ad residua quatuor universalia; et sicut est de genere, scilicet quod, facta comparatione generis ad residua, non oportet iterum comparare residua universalia ad genus, ita est semper de universalis priori, scilicet, cum universale prius sit comparatum ad universale posterius, verbi gratia, differentia ad speciem et proprium, non oportet, in comparando posterius, comparare ipsum ad prius, quia ista comparatio prius facta est. Unde, cum auctor prius comparavit differentiam ad speciem et proprium et cetera, posterius, in comparando speciem aut proprium ad aliqua, non oportet comparare species atque proprium ad differentiam, quia illa comparatio prius facta est; ex quo apparet quod semper posteriores comparationes sunt una pauciores quam priores. Nam comparationes generis sunt quattuor, scilicet ad differentiam, speciem, proprium et accidens; et comparationes differentie sunt ad tria, scilicet ad speciem, proprium et accidens; et comparationes speciei sunt ad duo, scilicet ad proprium et accidens; et comparatio proprii est ad unum, scilicet ad accidens; ex hoc sequitur quod comparationes quinque universalium adinvicem sunt tantum decem; et hec est conclusio undecima huius libri. Probatur sic: comparationes generis ad residua universalia sunt quatuor, et comparationes differentie ad sequentia sunt tres, et comparationes speciei ad sequentia universalia sunt due, et comparatio proprii ad accidens est unica. Nunc autem quattuor, tria, duo, unum sunt tantum decem, ergo comparationes quattuor universalium adinvicem sunt tantum quattuor.

Et est intelligendum quod comparationes quinque universalium adinvicem sunt decem in generali, sunt tamen plures in speciali, quia quodlibet quinque universalium comparatur ad alia universalia secundum convenientiam et differentiam, et alia universalia comparantur adinvicem secundum

plures convenientias et differentias; et ita sunt plures comparationes speciales et particulares quinque universalium adinvicem quam decem tantum.

<Tertium capitulum: comparatio differentie ad tria residua universalia>

Commune autem est speciei et differentie (Busse 18.10; Paluello 27.10) Istud est tertium capitulum secundi tractatus, in quo auctor comparat differentiam ad tria residua universalia. Et continet tres partes: in prima comparat differentiam ad speciem; in secunda ‘Differentia vero et proprium’ comparat differentiam ad proprium; in tertia ibi ‘Differentie autem et accidenti’ comparat differentiam et accidens invicem.

<PRIMA PARS TERTII CAPITULI>

Prima pars continet duas particulas: in prima comparat differentiam et speciem adinvicem secundum convenientias; in secunda ibi ‘Proprium autem differentie’ comparat (7va) differentiam et speciem adinvicem secundum differentias.

In prima ergo particula ponit duas proprietates communes differentie et speciei, quarum prima [pars] est equaliter participari a suis contentis: nam omnes homines equaliter sunt <homines>, scilicet (*pro: et*) omnes homines equaliter sunt rationales; secunda proprietas in qua conveniunt est quod tam differentia quam species semper insunt suis contentis: nam Sortes semper est homo, et est semper rationalis.

Intelligendum quod differentia et species semper insunt suis contentis dum illa sunt, sed quando illa contenta non existunt, nec differentia nec species inest eis; ut Sortes semper dum existit est homo et rationalis, sed Sorte non existente nec est homo nec rationalis.

Proprium vero differentie (Busse 18.15; Paluello 27.15) Hec est secunda pars, in qua auctor ponit quatuor proprietates, in quibus differentia et species adinvicem distinguuntur. Prima est quod differentia predicator in eo quod quale, et species non predicator in eo quod quale, sed in eo quod quid.

Amplius differentia (Busse 18.19; Paluello 27.19) Secunda proprietas qua distinguitur est quod differentia predicator de pluribus specie differentibus, et de pluribus speciebus, et species, scilicet specialissima, non predicator de pluribus speciebus.

Amplius differentia (Busse 18.23; Paluello 28.1) Tertia differentia qua differentia et species distinguuntur est quod differentia est prior quam species quam constituit. Et hec est conclusio duodecima huius libri. Probatur sic: illud est prius quo perempto perimitur aliud, et non e converso; sed perempta differentia, perimit species, et perempta specie, non propter hoc perimitur differentia constitutiva speciei; ergo differentia est prior quam species quam constituit.

Amplius quidem differentia (Busse 18.25; Paluello 28.3) Quarta proprietas est quod una differentia componitur cum alia ad constituendum speciem, ut rationale et mortale componuntur

adinvicem ad componendum speciem hominis, sed una species non componitur cum alia ad constituendum aliam speciem.

Quedam enim equa (Busse 19.3; Paluello 28.7) Sed posset aliquis dicere quod asinus et equa differunt specie et permiscentur adinvicem ad constitutionem muli, et ita diversa possunt constituere tertiam speciem. Istud removet auctor, dicens quod, licet equa particularis cum asino particulari permisceatur adinvicem tamquam cause efficientes in generatione muli, tamen equa simpliciter, hoc est species equi, et asinus simpliciter, hoc est species asini, numquam permiscentur adinvicem ad constituendum mulum vel diffinitionem muli.

Sciendum quod due differentie componuntur adinvicem ad constitutionem speciei vel diffinitionis speciei tamquam partes intrinsece, sed species non componuntur ad costituendum aliam speciem tamquam partes intrinsece, sed duo individua diversarum specierum tantum (pro bene) concurrunt tamquam cause effective extrinsece ad generationem <individui> alterius speciei.

<SECUNDA PARS TERTII CAPITULI>

Differentia vero et proprium (Busse 19.5; Paluello 28.10) Hec est secunda pars huius capituli, in qua auctor comparat <differentiam> et proprium adinvicem secundum convenientias et differentias. Et continet duas particulas: in prima comparat differentiam et proprium adinvicem secundum convenientias; in secunda vero ‘Proprium vero differentie’ comparat ea adinvicem secundum differentias.

In prima particula ponit duas proprietates communes differentie et proprio: prima est equaliter participari ab his que participant eorum naturam. Hoc est, differentia et proprium et in (*interl.*) hoc conveniunt, quod utrumque istorum equaliter predicator de suis contentis, et non secundum magis et minus.

Et semper omni adesse (Busse 18.8; Paluello 28.13) Secunda proprietas communis differentie et proprio est semper adesse speciei cuius sunt differentia et proprium, et omni contento sub illa specie; unde, differentia et proprium semper insunt speciei et omni contento sub specie cuius sunt.

Proprium vero differentie (Busse 19.10; Paluello 28.18) Hec est secunda particula huius partis, in qua auctor ponit duas proprietates quibus differentia differt a proprio: prima est quod differentia predicator de pluribus speciebus, sed proprium non predicator de pluribus speciebus, sed de una sola specie cuius est proprium.

Et differentia quidem (Busse 19.13; Paluello 28.21) Secunda proprietas est quod differentia sequitur ad speciem et non e converso, sed proprium sequitur ad speciem et e converso.

<TERTIA PARS TERTII CAPITULI>

Differentie vero et accidenti (Busse 19.16; Paluello 29.3) Hec est tertia pars principalis huius capituli, in qua auctor comparat differentiam et accidens adinvicem. Et continet duas particulas: in prima comparat differentiam et accidens secundum convenientiam; in secunda ibi ‘Differt autem’ comparat differentiam et accidens adinvicem secundum differentiam.

In prima particula ergo ponit duas convenientias inter differentiam et accidens. Prima est convenientia inter differentiam et accidens (prima...accidens *marg.*) in communi, sive sit separabile, sive inseparabile; et secunda est convenineia inter (7vb) differentiam et accidens inseparabile. Prima convenientia est quod tam accidens quam differentia predicitur de pluribus; et secunda convenientia, scilicet inter differentiam et accidens inseparabile, est quod utrumque, tam differentia quam accidens inseparabile, inest omnibus et semper, sicut bipes inest omnibus hominibus <et semper>, et nigredo que est accidens inseparabile inest omnibus corvis et semper.

Sciendum quod quoddam est accidens inseparabile consequens speciem, et tale inest omnibus individuis speciei et semper dum ista individua existunt, aliquod est accidens inseparabile consequens individuum, sicut simitas nasi, vel cecitas oculorum, et tale accidens non inest omnibus individuis speciei semper, tamen inest illis quibus inest semper dum illa sunt.

Differunt autem (Busse 19.20; Paluello 29.8) Hec est secunda particula istius partis, in qua auctor ponit tres differentias inter differentiam et accidens: prima est quod differentia continet speciem, quia est in plus quam species. Sed accidentia quodammodo continent, et quodammodo continentur: continent enim speciem, eo quod idem accidens secundum speciem etiam reperiatur in diversis subiectis secundum speciem, et ita videtur continere cum reperiatur in pluribus; et quodammodo continentur eo quod subiecta non sunt susceptiva unius accidentis secundum speciem tantum, sed plurium; verbi gratia homo non est susceptivus albedinis tantum, sed etiam nigredinis.

Et differentia quidem (Busse 20.4; Paluello 29.13) Secunda differentia est quod differentia non est intensibilis nec remissibilis, sed accidens est intensibile et remissibile, quia suscipit magis et minus.

Et impermiste (Busse 20.5; Paluello 29.14) Tertia differentia est quod differentie contrarie sunt impermixte, ita quod non possunt inesse eidem subiecto neque simul, neque successive; sed accidentia contraria sunt permixta eo quod possunt inesse eidem subiecto successive, et cetera.

<Quartum capitulum: comparatio speciei ad proprium et ad accidens>

Speciei autem et proprii (Busse 20.11; Paluello 29.21) Istud est quartum capitulum secundi tractati in quo fit comparatio speciei ad proprium et ad accidens. Et continet duas partes, quoniam in prima fit comparatio speciei ad proprium; in secunda ibi ‘Speciei et accidenti’ fit comparatio inter speciem et accidens.

<PRIMA PARS QUARTI CAPITULI>

Prima pars continet duas particulas: in prima comparatur species ad proprium secundum convenientias; in secunda ibi ‘Differt autem species’ comparatur species ad proprium secundum differentias.

In prima particula ponuntur due convenientie inter speciem et proprium, primo quod utrumque predicator de reliquo convertibiliter et universaliter. Sicut enim hec est vera ‘omnis homo est risibilis’, ita hec est vera ‘omne risibile est homo’, et sicut sequitur ‘si homo est, risibile est’, ita sequitur ‘si risibile est, homo est’.

Equaliter enim (Busse 20.14; Paluello 29.24) Secunda proprietas est equaliter participari ab his quibus participantur: sicut enim species participatur a hiis quorum est species, ita proprium equaliter participatur ab hiis quorum est proprium; hoc est, sicut species non suscipit magis et minus, ita proprium non suscipit magis et minus.

Differt autem (Busse 20.16; Paluello 30.1) Hec est secunda particula, in qua species comparatur ad proprium secundum quatuor differentias. Prima est quod species potest esse genus respectu aliarum specierum, sed proprium non potest esse species respectu aliarum specierum. Unde, quia alia species potest esse genus, ut species subalterna, proprium nullo modo potest esse genus respectu illorum quorum est proprium. Patet igitur quod species et proprium differunt.

Et species quidem (Busse 20.19; Paluello 30.5) Secunda differentia est quod species est prius proprio secundum naturam, et proprium est posterius specie.

Amplius species (Busse 20.21; Paluello 30.6) Tertia differentia est quod species semper actu adest ei cui est species, sed proprium non semper adest actu, scilicet actu secundo, sed potestate. Homo enim non semper actu ridet, semper tamen est aptus (*interl.*) natus et in potestate ad ridendum.

Amplius quorum (Busse 20.23; Paluello 30.8) Quarta differentia est quod species et proprium habent diversas diffinitiones, ergo sunt diversa. Nam diffinitio speciei est quod predicator de pluribus differentibus in numero in eo quod quid, et diffinitio proprii est quod inest omni et soli et semper.

<SECUNDA PARS QUARTI CAPITULI>

Speciei autem et accidentis (Busse 21.5; Paluello 30.13) Hec est secunda particula huius capituli, in qua ponuntur convenientie et differentie inter specie et accidens. Et continet duas particulias: in prima ponitur una proprietas in qua species et accidens conveniunt; in secunda ibi ‘Propria vero utriusque sunt’ ponuntur proprietates in quibus species et accidens distinguuntur.

In prima ergo particula ponuntur proprietates (*pro*: ponitur proprietas) in qua species et accidens conveniunt, que est de pluribus predicari; ista enim proprietas est communis tam speciei et (*pro quam*) accidenti; rare aliter vel nulle sunt alie proprietates in quibus conveniunt eo quod accidens et subiectum plurimum distant ab invicem.

Proprium vero utriusque (Busse 21.8; Paluello 30.17) Hec est secunda particula, in qua ponuntur quattuor proprietates, quibus species et accidens differunt. Prima est quod species predicator in quid, et accidens in quale.

Et unamquamque substantiam (Busse 21.11; Paluello 30.20) Secunda proprietas est quod unumquodque individuum habet tantum una speciem specialissimam et plura accidentia, ex quo patet quod species differt ab accidente, quia species specialissima (**8ra**) est unica respectu unius <individui> et accidentia sunt plura.

Et species quidem (Busse 21.13; Paluello 30.22) Tertia proprietas qua species differt ab accidente est prioritas (*marg.*) respectu accidentis; nam, species est prior naturaliter omnibus suis accidentibus, quamvis illa accidentia sint inseparabilia; unde species prior est naturaliter omnibus suis accidentibus.

Speciei vero participatio (Busse 21.15; Paluello 31.1) Quarta proprietas qua species differt ab accidente est quod species predicator equaliter de hiis quorum est species, sed accidens non predicator equaliter de hiis quorum est accidens, quamvis sit accidens inseparabile; nam nigredo intensior est in uno ethiope quam in alio, quamvis sit accidens inseparabile.

<Capitulum quintum: comparatio proprii et accidentis adinvicem>

Restat ergo de proprio et accidente (Busse 21.18; Paluello 301.5) Istud est capitulum quintum secundi tractatus, in quo auctor comparat proprium et accidens adinvicem secundum convenientias et differentias. Et continet duas partes: in prima comparat proprium et accidens adinvicem secundum convenientias; in secunda ibi ‘Differt autem proprium’ secundum differentias.

<PRIMA PARS QUINTI CAPITULI>

Et quia convenientie et differentie inter proprium et accidens separabile sunt magis note, ideo ponit auctor convenientias et differentias inter proprium et et accidens inseparabile. Et primo ponit duas convenientias: prima est quod subiecta proprii et accidentis inseparabilis numquam subsistunt sine proprio et accidente: ut homo numquam subsistit sine (*marg.*) risibilitate, et ethiops sine nigredine; secunda convenientia est quod sicut proprium inest omni contento sub subiecto et semper, ita accidens inseparabile inest omni subiecto a quo est inseparabile, et semper: enim risibile inest omni homini et semper, ita nigredo inest omni ethiopi et semper.

<SECUNDA PARS QUINTI CAPITULI>

Differt autem proprium (Busse 22.5; Paluello 31.13) Hec est secunda pars, in qua auctor ponit tres differentias inter proprium et accidens inseparabile: prima est quod proprium inest uni soli speciei cuius est proprium, ut risibile inest homini soli, sed accidens inseparabile non inest uni soli speciei, sed pluribus, ut nigredo non solum inest ethiopi, sed etiam corvo et carboni.

Quare proprium (Busse 22.8; Paluello 31.17) Secunda differentia est quod proprium conversim et convertibiliter predicatur de eo cuius est proprium, sed accidens inseparabile non predicatur conversim de subiecto a quo est inseparabile: nam nigredp non predicatur conversim de ethiope.

Et proprii quidem (Busse 22.10; Paluello 31.19) Tertia differentia est quod proprium equaliter participatur ab illis quibus inest, sed accidens inseparabile non equaliter participatur ab illis quibus accedit, sed secundum magis et minus. Et in hoc finitur brevis sententia huius libri et cetera.

Explicit expositio magistri Gualterii de Burley super librum Porphyrii et cetera.